


AB

155003

11. 00



alte Nr. 424.

Tenatorius, Th.

in 6 weisbuchstaben

K. VII. 84.



APOLOGIA
MATHIAE
FLACII ILLYRICI PRO
suis Demonstrationibus, anno su-
periore editis, in controuersia Sa-
cramentaria, contra Bezæ
cauillationes.

(H. W. 1566)
Anno Domini 1566. mense
Martio.

ARROLOGIA

MATHIAE

FRANCISCI PRO

his Demonstrationibus, anno in

perpetuo editis, in controuersis

grammaticis, contra Petrum

crullianones.

Anno Domini 1660

M. 1660



ILLVSTRIS =

SIMO PRINCIPI AC D:

D. VVolfango, Palatino Rheni, Duci Ba-
variaë, &c. suo Domino clementissimo optat
ardentem zelum Euangelij CHRISTI &
perpetuam fœlicitatem, Math.

Fl. Illyr.



ILLVSTRissime &
piëtissime Princeps
ac Domine lōgè cle-
mentis. omnique
obseruātia colende,
optandum profectō
omnibus modis es-

set, ut, cūm controuersiæ religionis ex-
oriuntur, presertim uerò in Ecclesia &
inter eos, qui de plerisq; capitibus arti-
culis ūe inter se consentiunt, omnia ibi
(ut Plato inquit) προτέρως πῶς καὶ ἁ-
λεκτικωτέρως agerentur, id est, non so-
lum omnis non necessaria acerbitas
uerborum abesset: sed etiam quādam
simpliciori, magisque tum sermone,

A 2 tum

tum sententijs, ac denique tota oratione propria, perspicua, aptaque ratione tractarentur.

Huius uerò simplicioris ac syncerioris tractationis pars aliqua esset, si res ipsæ tum ueræ, tum falsæ, de quibus agi necesse est, ut in seipsis sunt, auditoribus spectandæ dijudicandæq; proponerentur, omisis cauillis, sophismatibus, peregrinis digressionibus, insidiosis ambagibus, odiosis exagitationibus, & rhetoricis amplificationibus, quibus isti suæ linguæ præfidentes retorculi, si non semper deteriorem causam meliorem facere, & cōtrā bonam deprauare conantur, at certè plæruncq; uel ex culice elephantum, uel contrā ex elephāto minimam muscam apud imperitum uulgus pusillosq; Christi, non sine graui tum rerum ipsarum obscuratione, tum iudiciij simplicium corruptione, facere conantur.

Hoc ego sanè studio ac modo hactenus, quantum omnino potui, aliquas controuersias religionis tractaui. Hoc etiam

etiam animo, modoq; meas demon-
strationes in controuersia sacramenta-
ria anno superiore proposui, id omni
studio agens, quo & nostra testimonia
probationesq; ex uerbo Dei sumptas
quàm simplicissimè & perspicuissimè
proponerem; & etiam aduersarijs non
tantùm occasionem darem, sed etiam
(quoad eius fieri omnino posset) uelu-
ti necessitatem quandam afferrem, q̄
appositissimè, simplicissimeq; ad rem
ipsam respondendi, quod eos etiam i-
pse titulus (Euidentiſſimæ demonstra-
tiones) ut homines eruditos monere
debit.

Appositè autem, simpliciter ac syn-
cerè ad argumentum respondere id es-
se statuo, cùm primum clarè ac perspi-
cuè nodus ipse aut error contrarij argu-
mèti auditori proponitur: deinde per-
spicua eius solutio adhibetur, eaq; soli-
dè confirmatur, detecto penitus uitio,
fraude, imposturaq; antagoniste ita, ut
lector liquidò cernat, quid uel uerum
uel falsum sit, & tum aduersarij fraudè,

tūm respondentis perspicuam solutio-
nem agnoscat. Tertio, cū ipse prima-
rius scopus, summa aut caput ratio-
cinationis impetitur, nō singulæ aliq̄ uo-
ces aut minores sententiolæ, uel etiam
parerga dicta: aut deniq̄ uerba exagi-
tantur. Deniq̄ cum omittuntur obscu-
ra responsa, uasfræ cauillationes, astuta
sophismata, malitiosæ calumniæ, elu-
siones, effugia, digressiones, nihil ad
rem facientes, non necessariæ exagge-
rationes, iniquæ insectationes, blandæ
favoris gratiæque captationes, & odij
inuidiæque aduersario conciliationes,
& omnino omnis iniustæ uictorię pra-
ua cupiditas & fraudulenta aucupatio.

Qualis uerò sit præsentis aduersarij
responsio, non libet nunc hīc proluxi-
us aut odiosius exponere, eum uē accu-
sare. Apparebit id postea in refutationi-
bus eius solutionum liquidius, & por-
rò etiam longè manifestius in rebus
aut exemplis ipsis, pro palā iniustum
artificium exhibentibus.

Omnino autem, quantum ego quo-
rundam

rundam nostrorum in hac controuer-
sia aduersariorū scripta legere, & iudi-
care pro mea tenuitate potui, animad-
uerti eos sæpè summo studio scopum
aut caput argumenti nostri uitare, &
tantum ad aliquas minores partes aut
etiam accidentarias sententias respon-
dere, odiosè aliquas uoculas exagitare,
astutè sensum nostrorum argumentorū
inuertere aut detorquere, ea ma-
gnificè iactare ac proponere, quæ nis-
hil contra nos faciunt, probare quæ
non oportet, ea autem transilire, quæ
maximè probanda erant, ut eis Luthe-
rus sæpè obijcit, ea nobis inuidiosè tri-
buere, quæ non dicimus aut sentimus:
sæpè etiam miris technis tum nostras
argumentationes, tum & suas respōsi-
ones obscurare, summo studio, omniq;
arte, nobis quidem inuidiam, sibi uerò
gratiam fauorēq; captare, & deniq; nō
tam uerum falsumq; manifestè euolue-
re, ac ante auditoris lectorisue oculos
proponere, q̄ ab eo, miris technis sono-
raque illa sua facundia capto & ueluti

excantato, applausum extorquere.

Quid quæso aliud uoluerunt aut egerunt illæ contumeliosæ, scurriles, & deniq; atroces responsiones, duobus optimis & doctissimis uiris fidissimis, que Iesu Christi ministris Vuestphalo & Heshusio oppositæ, quàm quòd ita malè tractare ac deformare eos sunt conatæ, ut nec ipsi, nec aliij, metu tam inhonestæ tractationis, porrò hiscere pro ueritate auderent. Certè ita uehementes, ita acerbæ hostilesq; , ac penè dixissem rabiosæ fuerunt, ut nec Papiſtas quidem unquàm tam immaniter tractare sint soliti. Sed reprimam me, ne, dum iusto dolore cruentas istas ſcriptiones deploro, cupiditate insectandi istos ferri uidear.

Quod ad præsentem responsionem attinet, sicut antea tum tota ratione argumentandi, tum & sermonis simplicitate ac perspicuitate omni studio conatus sum res ipsas rationesq; nostras quàm dilucidissimè proponere, ita etiam in hisce responsionibus ad solutiones

ones

ōnes aduersarij sedulo egi, ut tum pri-
orum mearum demonstrationum in-
tentio repeteretur, tum eius solutio-
num qualitas, quā aptæ aut ineptæ,
ad rem faciētes, aut extra modum sco-
pumq; meorum argumentorum ua-
gantes essent, liquido cuius etiam im-
peritiori auditori appareret, dum uelu-
ti parallela iuxta se inuicem proposita
eius oculis subieci, ac quidnam, & qua-
tenus conueniat, aut disconueniat, ue-
luti digito commonstrari.

Ab acerbitate uerborum summo
studio temperaui, tantum interdum
res ipsas suis nominibus nominare
sum conatus, ut est sophisma, cauilla-
tio, figmentum, error. Voce calumniæ
& Sycophantiæ, quas ille mihi crebrò
obijcit, rarius sum usus: Aliquando so-
lum eius acerbis insectationes aut con-
clusiones ad uerbū expressas in ipsum
retorsi.

Editurus etiam sum breui uolente
Deo appendicem nouarum demon-
strationum, quas ipsas quoq; spero ali-

A 5 quid

quid ad controuersiaē huius illustratio-
nem facturas esse.

Quod uerò ad totam hanc contro-
uersiam attinet, bona certè conscientia
in ea uersor, ac statuo nostrā sententiā
esse tum ueram, tum salutarem, contra-
riam autem tum falsam, tum pernicio-
sam. Porro modum rationemq; eius
dirimendæ aptissimū, oro ut & ipse
Dei filius commonstret, tum exequa-
tur. Orare certè ac obsecrare eum de
hac re omnes p̄i summo studio arden-
tissimisque uotis & assiduis precibus
deberent.

Fortè utile esset aliquod colloqui-
um aut disputationem ex uerbo Dei
de hac re haberi. Sed id, nisi & in nomi-
ne Domini erit susceptum, & certa ra-
tione ordinatum ac obseruatum, profe-
cto non admodum foeliciter cedit. An-
te omnia necesse esset preces ardentis-
simas ad Deum in utrisque Ecclesijs
publicè ac priuatim ad Deum funde-
re. Deinde oporteret certas regulas di-
sputationis constitui, & utrinque com-
probari

probari, quæ totam disputationem ad illum unicum ueritatis fontem à Christo commonstratum; Scrutamini scripturas, adstringerent, & ueluti affigerent, agglutinarentq̃.

Meam quidem ego sententiam de modo disputandi Theologico dudum proposui amplius 40. regulis in supplicatione de Synodo comprehensam. Sunt uerò alij tum doctiores ac ingeniosiores, tū rerum usu magis me ualentes, maioribusq̃ Dei donis instructi, qui uel illas emendare, uel etiam, illis reiectis, meliores alias commonstrare poterunt. Quod ut cito diligenterq̃ ac publicè faciant, ego quoq̃ eos cuiusq̃ demum partis sunt oro ac obsecro. Nec dubito nostram partem talem congressum, si modò (ut dixi) rectè ordinatus fuerit, libenter cupideq̃ amplexuram esse.

Laudem porro uel eruditionis, uel ingenij uel etiam præclarorum operū ego istorū hoīm nequaquā obscurare cupio, neq̃ cum illis de ea aut cū ullis alijs
meis

meis aduersarijs contendo, quin potius omnibus palmam istarum laudum largissimè ac libentissimè concedo.

Optarim uerò toto pectore cum ipsis alijsq; concordiam, sed non, nisi sublatis erroribus, conseruatoq; illæso sacrosancto testamēti filij Dei diploma te, retētoq; hoc Nouo Testamento, unā cum suis necessarijs sigillis ac pignoribus, quibus Christus hoc suum fœdus erga nos miseros peccatores obsignat ac confirmat, non sine causa sanguinem Noui Testamēti nominans, eumq; sanguinem ac corpus suum coram in sacra hac cœna exhibens & distribuens.

Tibi uerò Illustrissime Princeps hoc scriptum dedico, cum, quia te synceræ ueritatis, cuius summa aliqua in Augustana confessione comprehensa est, studiosiss. fautoremq; esse intelligo, tum quo tanto maiorem occasionem habeas promouendæ piæ legitimæque cognitionis huius & aliarum præsentium controuersiarum.

Quare

Quare simul me, meaque studia, ac labores, tantum ad publicum bonum abolendasque impias corruptelas, & retinendam synceram ueritatem tendentia, T. C. reuerenter commendo. Dominus Iesus tuam C. aliosque Illustrissimos Principes ueritati patrocinantibus clementer conseruet, & spiritu suo Sancto in omnem ueritatem deducat,
Amen.

AD



D Refutationem igitur
solutionis Bezae, meae
primae Demonstratio-
nis, nihil omnino uide-
or mihi posse commo-
dius facere, quam si, ad-
scripta hic utraque, in-
telligenti & ueritatis a-
manti lectori iudicium

permittam. Adeo enim nihil, quod alicuius momenti sit, dixit, sed tantum ineptis ac obscuris cauillis contra eam lusit, ut nihil magis eam ipsius solutionem dissoluere possit, quam ipsamet, nihilque etiam contra magis meam demonstrationem confirmare. Adijciam tamen etiam quandam declarationem illius ipsius imposturae, ut imperitioribus lectoribus tanto magis occasionem cogitandi praebeam. Oro uero ac obsecro lectorem, ut diligenter utramque expendat, unà cum illis, quae adijcientur.

DEMONSTRATIO ILLYRICI
prima ex libello xxx De-
monstrat:

Manifestum est ac negari non potest, quae uerba sacrosancti testamenti Christi, duas inter se diuersissimas partes habeant, duasque multum à se inuicem diuersas res proponant & tractent. Primum etenim ipsam essentiam corpusue sacramenti describunt. Postea eius usum, finem ac effectum. Essentia Sacramenti describitur
usque

usque ad uerba, Pro uobis traditur, & Hoc fa-
cite. In altera uerò posterioreque parte indica-
tur, in quem finem, usum aut utilitatem sit
hoc Sacramentum institutum. Res est mani-
festa diligenter ac in timore Dei studioque ue-
ritatis, non cauillandi, textum expendenti.

Comprobat etiam hanc textus distin-
ctionem ipsemet Calvinus 1. Corinth. 11. hisce
uerbis: Quod pro uobis datur, Cæterum
(inquit) hoc est secundum membrum pro-
missionis, quod leuiter prætereundum
non est. Neque enim simpliciter & sine adie-
ctione, Christus corpus suum nobis offert,
Sed quatenus pro nobis immolatum est. Pri-
us ego membrum significat nobis corpus ex-
hiberi. Hoc secundum exprimit, quis in-
de fructus ad nos perueniat. Hactenus ille.

Fœda ergo peruersio est, quòd ab aduer-
sarijs, effectus aut fructus Sacramenti huius,
nempe spiritualis fruitio Christi, in ipsam
essentiam Sacramenti, nempe in uerba, Hoc
est corpus meum, uiolenter corruptis uer-
bis intrudatur, atque ita reuera ipsa essen-
tia Sacramenti corrumpatur, quin & in u-
niuersum tollatur. Quare separentur sen-
sus aut sententiæ resue ipsæ, & unum
quodque suo loco & in suis uerbis, ubi il-
lud ipsemet DOMINVS, author huius
Sacrosancti Testamenti, collocauit, quæ-
ratur ac tractetur, non in loco essentiæ ef-
fectus uel fructus, aut contra: ut si equi post
currunt

currum iuxta prouerbiū alligentur. De qua
distinctione textus Testamenti Christi, in
mea fidei admonitione plenius actum est.

SOLVTIO PRIMA EX LI-
bello Bezae.

AD PRIMAM DEMONSTRATIONEM
Illyr. cuius summa sequitur.

Prior pars uerborum Christi, nempe **HOC EST** corpus meum, ipsam essentiam sacramenti describit, ipso etiam Caluino teste: altera uerò, nempe **QVOD PRO** uobis traditur, eius usum ac effectum. Foedè igitur aduersarij, fructum huius sacramenti, nempe spirituales fruitionem Christi, in ipsam essentiam sacramenti, nempe in uerba, **HOC EST** corpus meum, uolenter corruptis uerbis, intrudunt. Respondeo, Illyricum in ipso limine turpiter impingere. Primum enim, quum, uel ipso teste, D. Caluinus corpus ipsum ab eius fructu inde ad nos perueniente distinguat, deprehenditur Illyricus in manifesta calumnia. Deinde quis præter istum ignorat, appellatio ne fructus, interdum res ipsas, quas aliquis sit nactus, aliquando uerò utilitatem, quã ex ijs rebus percipiat, cõmuni loquendi ratione declarari? Postremò si Illyrico credimus, habendus nobis erit Paulus ipse pro Testamenti Domini corruptore, qui panem quem frangimus non corpus Domini, sed corporis Domini communicationem uocat: Verùm maneat
potius

potius Paulo sua autoritas, & Illyricus insignis sycophanta à pueris etiam ipsis habeatur.

RESPONSIO Illyrici.

Dicit me impingere statim in ipso limine, seu in prima demonstratione, & præterea esse manifestum calumniatorem aut sycophantam: Bona uerba frater, Parcius ista uiris exprobrare memento: ac contra uide ex hisce sequentibus, an non rectius ista tibi tribui queant.

Primum ita mea argumenta suis solutionibus præponit, tanquam meum textum aut saltem sententiam adscribat, cum ab utroque fraudulenter discedat. Ego enim non dixi, quod Calvinus ipse testetur, uerba: Hoc est corpus meum, describere ESSENTIAM Sacramenti, ut ille mea uerba uult uideri recitare, sed quod probet illam meam DIVISIONEM VERBORUM sacrae coenae in duo membra & membrorum metas. Videatur mea demonstratio.

Secundò concessi uno tantum in loco, rectè distinguere Calvinum textum sacrae coenae, non mox ubique, multo minus omnes nostros aduersarios rectè semper distinguere. Dixi uerò simpliciter ac in genere aduersarios, non unum Calvinum nominando, intrudere usum aut fructum coenae in illa uerba: Hoc est corpus meum. Cur ergo me in eo calumniae accusat?

Imò ipse est calumniator, qui ita mox initio ratiocinatur: Calvinus teste Illyrico rectè in unico loco corpus Christi à suis fructibus discernit. Igitur falso accusat suos aduersari-

B os,

os, quòd ista duo confundant. Rarum ne quæ
so est, falsa dicentes suis sodalibus aut etiam si
bimet alicubi contradicere?

Tertiò neutrum dixi in prima mea demõ
stratione, ut ille falsò mihi imputat, q̄ uel di-
stinguant uel non distinguant corpus Domi-
ni à suis fructibus, sed quòd Calvinus in uni-
co loco rectè distinguat uerba Testamenti in
duo membra, & quòd nostri aduersarij non
rectè intrudant usum aut fructum sacræ Cœ-
næ in illa uerba, Hoc est corpus meum: quæ
propriè essentiam Sacramenti describant.
Quod ergo ego dixi de distinctione textus
bona & praua, id iste transfert ad distinctio-
nem corporis CHRISTI & eius fru-
ctuum.

Quartò confugit ad plures significatio-
nes uocis fructus, quia scilicet teste Aristot.
Synonyma quidem poetis, homonyma autè
Sophistis & Impostoribus utilia sunt. Cur au-
tem tantum uarietate significationum tene-
bras lectori offundit, & non certam aliquam
significationem textui Caluini, diuersam au-
tem meæ demonstrationi dilucidè attribuit
ac probat, ut sic mea calumnia malè eum cr-
tantis liquidò deprehenderetur? Hoc certè
uolentem soluere aduersarij demonstra-
tiones, omnibus modis facere oportuisset,
præsertim eum, qui tam ignominiosi cri-
minis Sycophantiæ uellet suum aduersari-
um coarguere.

Videtur autem uelle mussitare aut sub-
indi

indicare (neque enim clarè audeat eloqui, ne redargui possit) aliquando idem esse fructum, & rem, cuius est fructus: quod tamen non probabit unquam, & si probaret, sibi met ac suo Caluino, clarè ista in præfenti materia distinguenti, contradiceret.

Præterea etiam si mille exempla aliarum rerum proferret, ubi idem usus rei ac res ipsa esset, tamen nisi probaret hîc illa duo idem esse, nihil planè efficeret: uerum (ut dixi) tantum in tenebris, & obscuritate Sophisticum maleficio exercet, nihil clarè exponendo, ne deprehendatur, ac uinculis ueritatis coherceatur.

Postremò per me non erit Paulus (ut Beza falsò me accusat) corruptor Testamenti, quid de essentia eius dicit, Panis quem frangimus est communicatio corporis Christi. Vbi istorum fraus obseruetur, Sic enim quidam nouus magister argumentatur: Paulus dicit, Panis est communicatio corporis Christi: atqui panis est in prædicamento substantiæ, communicatio in prædicamento actionis, Igitur uerba scripturæ de sacra Cœna, non sunt propriè, sed figuratè accipienda.

Respondeo, Sensus illius dicti, Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi, uerissimè ille est, quem Caluinus recitat Instit. libro quarto, cap. 17. Sect. decima, quòd fractio aut sumptio panis, sit parti-

B 2 cipa-

icipatio corporis Christi: Subiectum enim illius sententiæ est, (Si quis Hebraismum attendat) non panis ratione suæ substantiæ, sed quatenus frangitur ac editur, seu (ut Calvinus prædicto loco intelligit) fractio panis aut distributio, quæ uerè est communicatio aut participatio corporis Christi. Verùm de hoc loco paulò post prolixius agetur.

Hasce tot calumnias aut Sophismata Bezzæ, me tam acerbè Sycophantiæ accusantis, expendat æquus iudex, & iudicet, quo tandem nomine ipse dignus sit habendus.

Omnium uerò maximum eius Sophisma est, quod cum se profiteatur uelle soluere meas demonstrationes & hanc primam præcipuè, nullã tamen prorsus in ea sententiam refutat.

Reuoco igitur lubricum Sophistam ad principium, ac peto, ut meam demonstrationem redarguat, cuius hæc sunt primaria sententia. 1. Verbum Dei rectè secundum est, & res diuersissimæ non sunt confundendæ. 2. Testamentum Domini habet duas diuersissimas partes aut membra, ut Calvinus ea uocat. 3. In posteriore membro, quod incipit à uocibus, Quod pro uobis datur aut funditur, docetur fructus aut effectus Sacramenti, ut idem Calvinus confitetur: in præcedenti autem membro uel parte, ipsa essentia huius Sacramenti depingitur. 4. Igitur foeda peruersio est, quod aduersarij fructum huius Sacramenti, nempe spirituales fructus corporis Christi, in ipsam essentiam eius, seu in uerba, H O C E S T
COR-

CORPVS. MEVM. intrudant.

Quæro ex Beza & omnibus eius discipulis, quam nam ex hisce 4. sententijs in ista sua demonstratione refutauerit, aut saltem refutare conatus sit? aut quam etiam refutare possit? Prima est uerissima in tota rerum natura, & ex uerbo Dei sumpta. Secunda de duabus partibus aut membris sacri huius Testamenti, & quousq; illæ sese extendât, est manifestiss. & comprobatur ab ipso Caluino. Quin & à Beza ipso solutione 15. infra. Tertia, q; in posteriore parte agatur de fructu aut effectu Sacramenti, est itidem manifestum, & cõfirmatur à Caluino & Beza: Altera porro eius pars, q; in prior parte agatur de essentia huius sacramenti est itidem manifestissima. Postremam, nempe q; aduersarij peccent, intrudentes fructum aut effectum huius Sacramenti, in primum membrum aut essentiam, si non negat, constat mea demonstratio, si negat, uicimus: nihil enim mallems, q; eos fateri, fructum Sacramenti huius, nempè spiritualem manducationem aut fruitionem corporis Christi in posteriore tantum parte uerborum Sacræ cœnæ collocandum, & non in illis uocibus, Edite, Bibite, hoc est corpus, Hic est sanguis meus. At nimis notum est, eos in illis uerbis essentiam Sacramenti describentibus collocare spiritualem manducationem aut fruitionem corporis Christi, quæ reuera pertinet ad effectus aut fructus.

Hisce omnibus meæ primæ demonstrationis sententijs neglectis, profugit iste ad acer

uum Sophismatum, quæ supra recensui, quæque prorsus à meo argumento, sensu & instituto alienissima sunt. Artifex nimirum est, suo more præclare Ciceronis præceptum obseruans, qui dicit, Rhetorem debere interdum ita reiecto in tergum scuto, fugere, ut interim uideatur fortissimè cum aduersario pugnare.

At ego ipsum, omnesque eius erroris patronos prouoco, ut meam istam demonstrationem uerè confutent, & dico eam potentissimè ipsorum præcipuam corruptellam in angustias redactam strangulare & suffocare.

Confirmat etiam uehementer meam hanc demonstrationem, quòd concedit differre essentiam sacramenti huius & fructum, ac in ijs locis singula ea seorsim tractari, ubi id ipsum mea demonstratio adfirmat. Præterea etiam id ponit, quod ego non dixeram, Caluinium testari in uerbis sacrae Cœnæ, Accipit & dedit dicens, accipite & comedite, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, ipsam ESSENTIAM Sacramenti describi. Quare hæc istius solutio euidens & præpotens confirmatio meæ primæ demonstrationis uerissimè dici posset.

Accedit uerò nunc meæ isti demonstrationi præclarissima confirmatio, quòd cùm tantus aduersarius, tanto ardore eam inuasit, nec unicam eius sententiam euertere potuerit, imò nec attingere quidem aut attrectare,

re, metuens sibi, ut à candente ferro, ausus
fit.

Porro (quæ admodum supra dixi) ipsum quoque
istam meam distinctionem sacrosancti testa-
menti infra sol. 15. comprobare, idque plurimum
ad confirmandam hanc meam demonstratio-
nem & totam sententiam facit, eius uerba hinc
protinus adscribam.

Præterea prioribus uerbis illis, Accipite,
Comedite, &c. dicimus, & signum & rem si-
gnificatam, panem uidelicet & corpus per pa-
nem Sacramentaliter significatum, ac præte-
rea etiam quid nobis ex parte nostra sit agen-
dum, declarari: posterioribus uero illis, Quod
pro uobis traditur, etc. usum ipsum & fru-
ctum istarum rerum explicari.

CONTRA SECVNDAM
SOLUTIONEM.

In secunda mea demonstratione eluden-
da, iterum clamat ac ingeminat, me esse calum-
niatorem: Cum ipse potius calumniatorem
agat, dum studio malicioseque à meo argumen-
to discedit, aliaque mihi Sophismata attribuit,
quo ea pro arbitrio eludere & exagitare pos-
sit, cum quidem summam meæ demonstratio-
nis utcunque tollerabiliter recitet, nisi quod
ambigua quædam uerba, (ut est Declarat) pro
meis substituit. Ut autem depræhendi possit,
uter nostrum utatur calumnijs in hoc argu-
mento, proponam breuiter summam meæ de-
monstrationis, quæ est hæc.

Fides Christiani hominis ex solo uerbo Dei uerè intellecto pendere debet, non ex ulius hominis: Nihil debet illa ei adijcere, nihil imminuere, non plus, non minus credere, quàm uerbum Dei sonat, uel pilum latum. Porro Metonymia istorum nos docet ac persuadere conatur, uerba sacrosancti Testamenti filij Dei, Accipite & comedite, hoc est corpus meum, improprie dicta esse, nec ullo modo, sic (ut sonant) ad uerbum intelligenda: hunc enim esse proprium ac genuinum sensum illorum uerborum Christi quæ ea dicentis, Hoc est symbolum corporis mei.

Hunc igitur (ut isti contendunt) ueris, ac genuinum sensum uerborum cœnæ fides Christiani firmiter apprehendit, eique tenacissime inhæret: Audit & considerat sibi à filio Dei dici. Accipe & comede, hoc est symbolum corporis mei, nec audet quicquam ulterius addere, aut credere, uel inde diminuere. Nullam prorsus illa uel præsentiam uel manducationem corporis aut sanguinis audet credere uel somniare. Nam prædicta uerba, Hoc est symbolum corporis & sanguinis mei, nullam omnino præsentiam pollicentur. Quare omnino necessario tum metonymia omnem ueram præsentiam corporis tollit, tum uicissim præsentia metonymiam istorum damnat.

At Beza tali fidei & Christiano occlamat in præsentia solutione, Audi quid nos ubique inculcemus, ita panem esse signum aut symbolum, &c. Respondet fides aut Christianus tali uerbo

uerbo aut sententia (ut putat) filij Dei captus:
Quinā uos homines aut Rabini estis? & quid
mihi cum uestris inculcationibus aut Sophi-
sticationibus? Ego non quid uos inculcetis,
Sed quid filius Dei, quem solum audire iussus
sum, mihi in suo sacrosancto testamento cœli-
tūs dicat, audio. Is uerò (si uestra metonymia
non mentitur) propriè dicit se mihi dare sym-
bolum aut signum corporis aut sanguinis sui,
non dicit se mihi dare corpus suum: Illi ego
non audeo uel addere, uel detrahere unicum
apicem aut iotā.

Quare Metonymia reuera ac necessarijsi-
mè tollit omnem ueram præsentiam & man-
dicationem tum spiritualementum corpora-
lem ex hisce uerbis Christi, Accipite & come-
dite: Hoc est corpus meum & sanguis: ut quæ,
reiectis istis improprijs, hæc proprijsima au-
ribus & cordi Christianorum inferat ac im-
plantet, Accipite & comedite, Hoc est symbo-
lum corporis & sanguinis mei.

Contra etiam ac uice uersa, si filius Dei mi-
hi in uerbo Sacrosancti Testamenti sui uerè
pollicetur, & offert corpus & sanguinem suū,
siue spiritualiter siue corporaliter comeden-
dum, tum necesse est Metonymiam istorum,
mutantem corpus & sanguinem in signa uel
symbola corporis & sanguinis Domini fa-
cessere ac explodi, ex sacrosancto filij Dei Te-
stamento, ad patres suos infernales cacodemo-
nas, qui eam reperierunt.

Hæc est mea demonstratio, quæ satis qui

dem clarè etiã aũtea expressa fuit, Cur igitur, ea omiffa, fingit iste candidus antagonista, me sic arguari? Præbetur panis, ut corporis signum: Ergo tantum signum datur: Respondeo nihil tale in hac demõstratione dixi imò nec somniaui quidem.

Si uult hoc meum argumentum de atroci pugna Metonymiæ ac proprietatis uerborũ sese inuicem destruentium, dum uel Metonymia remouet corpus, ac pro eo symbolum substituit, uel cõtra proprietatem uerborum ueram præsentiam ac exhibitionem corporis statuit, confutare, probet uel ista duo, nempe, proprietatem uerborũ & metonymiã non pugnare inter se, uel fidẽ Christiani hominis nõ debere soli puro uerbo Dei religiosissimè adhærere, non plus non minus uel hilum aut pilũ credendo aut sentiendo, q̃ quod illud clarè sonat, affirmat aut negat. Probet etiã Christianam fidem audientem à filio Dei (secundũ istorum Metonymiam) Accipe comede & bibe, hoc est symbolum corporis & sanguinis mei, teneri inde digredi, & audire quid Beza & alij Calviniani ubiq; inculcent, & non solum id exactissimè sequi, quod propriè filius Dei dixit, sed id quod illi mille glossæ inculcãt. Hic nodus est mei argumenti, hinc solutionem adhibeant, si possunt.

At ille strenuus bellator aut disputator, omiffa prorsus demõstratione mea, nugas agit, sophismatibus ludendo ac dictitando, Nõ ignorauit Illyricus, quid ubiq; inculcare soleamus.

Quid

Quid enim mihi malum cum uestris inculcationibus & mille prestigijs, quibus Sacro sanctum Testamentum filij Dei mille modis uertitis inuertitis ac peruertitis. An Christiani omni uentulo uestrarum glossarū & testamenti huius falsationum, quas subinde nouas cōfingitis, circumferri debent? Ego audio quid filius Dei unicus meus magister mihi dicat, qui aut propriè loquendo & legendo mihi dicit, Accipe & comede ac bibe, Hoc est corpus & sanguis meus, aut per uestram Metonymiam clarius mihi loquendo ait, Accipe & comede ac bibe, Hoc est Symbolum corporis & sanguinis mei, quæ duo sese inuicem manifestissimè euertunt. Quod etiam ipsimet Zuingliani clarissimè testantur, dum perpetuò & planè hostiliter proprium aut grammaticum sensum Testamenti filij Dei oppugnant, & pro eo Metonymicum omnibus, ut idolum quoddam suum adorandum obtrudere conantur.

Horum alterutrum oportet me statuere, esse uerum uerbum Dei, eique diligentissimè ac religiosissimè inhærerere, nihil addendo, nihil imminuendo, nec quicquam aliud in hoc loco credendo, quàm id solum, quod uerum uerbum filij Dei sonat.

Retorqueo igitur ipsius aduersarij uerba in eum. Hanc summam meæ demonstrationis non ignorauit BEZA, ut se ipso recte, qui eam adscripsit, calumniæ arguatur.

Concludo

Concludo igitur denuo cum mea uictri-
ce demonstratione, contra istius ludicram so-
lutionem & impium errorem, istos homi-
nes, dum Metonymiam in hisce uerbis, Acci-
pite, Comedite ac bibite, collocant, omnem
manducationem corporis Domini siue spiri-
tualem, siue corporalem inde tollere, si modò
istud Theologicum principium adhuc uerū
est, q̄ fides teneatur exactissimè & religiosissi-
mè uerbo Dei adhærere, non plus, non minus
credendo, sentiendo, addendo aut imminu-
endo, sed tantum solummodo, quantum il-
lud uerè ac clarè sonat. Verùm de istorum
metonymia in Appendice demonstrationum
plura dicentur.

CONTRA 3. SOLUTIONEM.

In tertiæ demōstrationis refutatione itidē
pr̄sus extra septa fertur ac grassatur, nihil mi-
nus agēdo, q̄ ut eā euidentet refuter. Ego. n. argu-
mētatus sum ab euidentissima significatione
potentissimorū uerborum filij Dei, hoc circi-
ter modo: Scriptum est, Accepit & dedit, ac di-
xit, Accipite & comedite: Sicut uerò illud acci-
pere & dare Domini fuit externum, ita etiam
accipere Apostolorū de manibus dantis Do-
mini fuit opus externum: sicut ille eos iussit
accipere exterius dando, ita illi paruerunt &
acceperunt externè accipiendo. Sic porrò etiā
uerbis, Comedite, ac bibite præcipit externam
comestionem, quod est manifestissimum. De
illo autem exterius dato & accepto ac come-
so, dicit clarissimè Dominus Iesus, Hoc est cor-
pus

pus meum, & sanguis meus: Monstrat ibi Dominus præsens corpus, ac sanguinem consumum potumque ab Apostolis, quo suum fœdus illic sancit: Sicut olim Moses Exodi 24. Hebr. 9. præsentem sanguinem, quo eos asperfit, monstravit, iisdem uerbis, quibus est Dominus usus, utendo, Hic est sanguis Testamenti, &c.

Audi inquam Beza. In hisce evidentissimis, luculentissimis & significantissimis uerbis, perspicuoque sermone est sita uis meæ demonstrationis: eam si tu uis euertere, monstra, uerba, accipere ac dare, & accipite ac comedite, ac bibite; idem ualere, quod credite, spiritualiter fruimini meo corpore, incorporeate uos in me, fiatis membra mea, caro de carne & os de ossibus meis. Monstra etiam Dominum olim & nunc CO RAM monstrando & exhibendo corpus ac sanguinem suum, dicere, corpus meum est aut erit in cœlo empyreo aut chrystallino, eò conscendite speculationibus uestris, & ibi fruamini eo. Tali aliqua ratione necesse est eum euertere evidentissima filij Dei uerba, quæ ego urgeo, si uult meam demonstrationem refutare.

At ille omisis istis neruis meæ demonstrationis, per totum mundum sophisticando oberrat, iam ad Papam Nicolaum & suum patrem Berengarium, iam ad agros Saxonicos, iam se Geneuam recipit, iam in cœlum scandit, iam in terram ac Inferos descendit. Quid meæ demōstrationi cum istis circumuolitantibus per orbem terrarum & peregrinis similitudinibus?

litudinibus? Inter alias ineptias dicit, si quis mihi donaret agros in Saxonia, non oporteret uel me in Saxoniam proficisci, uel agros huc afferri: ita etiam cum Christus mihi donat suum corpus in caelo sedens. At Christus non dicit accipite et comedite corpus meum, quod est in caelo aut in Saxonia: Sed coram monstrat suum corpus, quod edi iubet, clare dicens, **HOC EST CORPVS**, non in Saxonia est.

Dicat de ipsis euidentissimis, simplicissimis & efficacissimis filij Dei uerbis, quae ego urgeo, eisq; det alium sensum, si potest, quam quem nos pusilli infantes Christi in eis animaduertere & percipere possumus. Id donec non fecerit, sed oberrauerit per orbem terrarum, alias nugas agendo, mea demonstratio manet & manebit incolumis, comminiscatur ille quot uolet distantias & absurda. Atque haec de ipsa demonstratione, & isto eius cauillo. De dicto uero Pauli, Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est? in Appendice dicetur.

CONTRA 4. SOLVTIONEM.

In quarta mea demonstratione probaue-
ram ex diligenti partium aut terminorum con-
sideratione, nihil clarius dici aut etiam excogitari tantum posse, quam quod Christus de
dato Apost. cibo ac potu pronunciauit, Hoc
est corpus meum, contra istorum impias cal-
umnias, qui clamant esse obscurum ac improp-
rium dictum, quoq; aliunde illustrandum aut
expo-

exponendum: qua de causa etiam mille interpretationibus ab eis torquetur & corrumpitur.

Fatetur id aduersarius, ac primùm dicit, tum subiectum tum prædicatum uerè ac propriè accipi, semperque ab ipsis acceptum esse. Quare meam demonstrationem non esse necessariam, utpote de re minimè controuersa pugnantem.

Respondeo, falsissimum id esse omnibus penè notum, Quis enim ignorat, quantis clamoribus ac uoluminibus contenderit Oecolampadius idem significare corpus quod figura corporis? Sic & Zuinglius licet suam Batauicam gemmam *E S T* pro significat à spectro, per somnium, ut ipsemet testatur, acceptam, ut diuinam quandam patefactionem adorauerit, tamen in præfatione quadam ad regem Gallorum concludens inquit, Cogimur ergò, uelimus nolimus, agnoscere hæc uerba, Hoc est corpus meum &c. non naturaliter, ac pro uerborum proprio sensu esse intelligenda, Sed Symbolicè Sacramentaliter, denominatiuè, aut metonymicòs, hoc modo, Hoc est corpus meum, id est, Hoc est Sacramentum corporis mei, siue hoc est corpus meum Sacramentale, siue mysticum, &c.

Sic & Viretus de eodem prædicato impropriè accepto in suo prolixo uolumine Geneue ante paucos annos à Roberto Stephano impresso, scribit, tropicè intelligendū esse hisce uerbis:

bis:

bis: Si igitur malunt ita **EST** usurpari, ut substantiui uerbi natura à genuina sua & propria significatione nihil discedat, hoc illis libenter concedemus: Sed ea lege, ut Metonymiam, quam eorum aures in uerbo **EST** respuunt, collocemus in nomine corporis: ut is nobis sensus reddatur, Hoc est corpus meum, id est, figura corporis mei. Nam hoc pacto, **EST**, relinquatur uerbum ueritatis, & ut loquuntur existentia, corpus uerò pro corporis figura capitur & significatione.

Habes contra unum Bezam tres celebres testes, qui contendunt corpus improprie accipi pro figura. Audi & quartum, qui cum sit pater eius, necessariò ei erit loco mille testium. Is igitur inquit, in suo de concordia ratione, paulò ante mortem scripto. Nomen ergo corporis figuratè ad panem transfertur. Sic in cõfensione Geneuensium & Tigurinorum, ab eodem scripta & defensa, dicunt esse Metonymiam, quia usitato scripturae modo, nomè rei figuratè ad signum transferatur. Sic in harmonia dicit: Iam hoc satis tritum esse debet, nomen rei signatae ad signum per Metonymiam transferri. Sic idem super Corinthios prolixè inculcat, nomen corporis improprie poni per Metonymiam pro signo corporis, Verba eius hæc sunt:

Cur ergo appellatio corporis pani tribuitur? omnes, puto, concedent, eadem ratione, qua Spiritum sanctum Iohannes Còlumbam uocat. Haftenus conuenit. Porro in spiritu

ritu ista fuit ratio, quod sub columbæ specie
apparuerat: transfertur ergo spiritus nomen
ad signum uisibile. Cur hîc negemus similem
esse Metonymiã, nomenq; corporis pani tri-
bui, quia eius signum sit aut symbolum? Da-
bunt mihi ueniam si qui dissentiant: conten-
tiosum mihi uidetur, de eo pertinacius litiga-
re. Constituo itaq; sacramentalem hîc esse lo-
quendi modum: ubi Dominus REI SIGNA-
TÆ NOMEN SIGNO TRIBVIT.

En audis nomen tantum corporis, per
Metonymiam, non rem, ipsa uera prædicatio-
ne propriae significatione poni.

Sic idem in libro contra Heshufium cla-
rè ostendit, nihil referre siue metaphoram in
ea re colloces, siue alijs tropis utare. uerba ei-
us hæc sunt: Etsi autem nonnulla est diuersi-
tas in hisce uerbis, panis est signum corporis,
uel figura, uel symbolum, uel panis significat
corpus, uel Metaphorica, uel metonymica, uel
synecdochica est appellatio, de summa tamen
rei optimè conuenit.

Sed quid moror lectorem in recensendis
Caluini testimonijs, ipsemet quoq; Beza in o-
mnibus suis scriptis clamat, uerborum sacræ
cœnæ eam esse uim, ac si diceretur: Hoc est sym-
bolum corporis mei, & nomen signati pro si-
gno per Metonymiam poni. Obsecro quis sa-
næ mentis dicat esse propriam sumptionem
uocis corporis, cum dicimus nomen rei signa-
tæ pro suo signo poni? Quid sibi uult aliud i-
stud uerbum, TRANSFERTVR nomen cor-
poris

C

poris

poris per Metonymiam, quàm figuratè accipit
& non propriè.

Quin & in hoc ipso libello paulò antè dixit ipsemet: Nomen rei ipsius, id est, corporis ac sanguinis ad ipsa signa figuratè TRANSFERTUR. Quid significat, uox à sua propria re & significatione ad aliam TRANSFERTUR? In primo Dialogo contra Hefhusium prolixè urget, eandem esse uerborum Cœnæ uim, ac si dictum esset: Hoc est symbolum corporis mei, & passim alibi.

Omnes isti scriptores ac in omnibus suis libellis urgent, illud malè intellectum Tertuliani, hoc est corpus meum, id est, hoc est figura corporis. An hoc est propriè accipere corpus, quantumuis interdum pressi à nobis illis sequentibus uerbis, Quod pro uobis traditur, quo sese plausibilius tueantur, clamitent; se corpus propriè accipere.

Hinc iudicent lectores, qua sinceritate ac candore, in hac parte, isti homines, causam sacrosancti Testamenti filij Dei tractent.

Similis falsitas est, quod mox dicit: Quòd si qui ex nostris huius contemtionis initio paulo aliter sunt locuti, scito nunquam id esse factum, ut à Cœna ipsum corpus Christi excluderetur. At contra paulo ante ipsemet adeo excludit corpus Christi à sacra cœna, ut sacrâ cœnam tantum esse in terris, Corpus autem Christi tantum in cœlis esse affirmauerit. An non hoc est manifestissimè alterum ab altero tantum procul excludi, quàm cœlum à terra secludi.

THE

tur ac separatur. Verba eius hæc sunt: Deinde,
omnem crassum & naturalem coniunctionis
modum ita EXCLVDIMVS, Sicut enim sci-
mus, quod nemo inficiatur, signa esse in ter-
ris, & non ALIBI: ita etiam statuimus rem
ipsam, id est, Christum secundum carnem, cœ-
lis, & NON ALIO LOCO compræhendi.

En audis alterū ab altero adeo exclusum,
aut seclusum distractumq; esse, ut alterum sit
tantum in cœlo, alterum tātum in terris: satis
ipse supra declarauit, quomodo corpus Chri-
sti sit in sacra Cœna, nempe sicut agri Saxoni-
ci Geneuæ, cum ei illic donatur, Vide impostu-
ram & uolentiam sermonis. Quis sanæ men-
tis dicet agros Saxonicos esse Geneuæ, quia ibi
ei donantur aut uenduntur.

Quòd si uolunt tropum istum suum cum
Zuinglio in uerbo EST collocare, ut illi nus-
quam non tropos somniant, sicut clarè Calui-
nus ait in concordia ratione, In uerbo quoq;
substantiali insistere, non est rationi consenta-
neum, quando de Sacramentis agitur, quibus
peculiarem loquendi formam scriptura assi-
gnat: Hoc q; sophisma, aut potius nefariā fal-
sationē testamēti Christi, i mea fideli admoni-
tiōe 10 argumētis iugulaui, quæ infra subijciā.

Verū si oīno uolūt ad gēnam Batauicā cō-
fugere, EST, pro significat, saltē id disertè profi-
teantur, solidisq; argumētis eā probēt, ne adul-
terinam esse suspicemur, ut eos prolixè in fine
meæ fidelis admonitiōis obtestatus sum, ut tā-
dē unanimiter in aliqua uoce certū tropū col-

locent, firmissimisq; argumentis probēt. Sed
surdus cecini fabulam, sicut & Lutherus, alij-
que ante me plus millies.

Obijcit nobis Papistarū cōsensum, dicit etiā
illos τὸ ῥητόν retinere, in uerbis panis est cor-
pus Christi Imò non retinent, cūm eis uox pa-
nis non panem, sed umbram tantum, aut spe-
ciem abusiue aut Metaphoricè significet.

Posset uerò hoc crimen optimo iure in il-
los reijcere, quia illi, sicut & Papistæ, utramq;
uocem aut terminum sacri testamenti illæ-
sum relinquere nolunt, Nam sicut illi ex uo-
ce panis, tantum speciē aut figuram fecerunt,
sic & isti clamant, corpus tantum speciē, fi-
guram aut symbolum corporis significare: I-
ta Papistæ quidem subiectum, isti autem præ-
dicatū, in speciē aut figuram transformant,
quod eis Lutherus in maiori cōfessione mul-
tum inculcauit: Ostendens utrosq; in simili
errore ac euerfione testamenti Christi uersa-
ri. De qua re in appendice clarius agetur.

Dicit pronomē Hoc, tantum panem de-
monstrare, eoq; nos ad tropum confugere, cū
pro Hoc, substituimus in Hoc, aut sub Hoc,
aut cum hoc pane. Quòd uerò pronomē Hoc
non nudum aut solum panem monstret, ostē-
di abundè in mea fidei admonitione. Dice-
tur aliquid clarius sub finem harum respo-
nsum solutione uigesima nona.

Dicit se autoritate Scripturæ & patrum
adigi ad Metonymiam in uerbis sacræ cœ-
næ statuendam, quod perinde uanum fal-
sumq;

sumq; est, ut alia eius esse probauimus.

Mea demonstratio (ut tandem ad eam redeam) magna ex parte eò spectauit, ut mōstraret uerba sacrosancti Testamenti in Euangelistis, esse perspicua, contra quam isti clamant esse obscura, eorūq; ex Paulo illustranda & explicanda.

Ex hisce liquido patet, & meam demonstrationem esse uerissimam, ac ab illo nec in minimo quidem tactam, nedum expugnatā: & istum falso gloriari, se quoq; tum subiectū tum prædicatum uerborum cœnæ, tantum in propria significatione accipere, & quæ alia adiecit paris uanitatis.

Debebat autem in hac solutione in una aliqua certa uoce, certum tropum firmissimè demonstrare, ut toties sunt grauissimè prouocati & ueluti adiurati, quò tandem omnes homines scirent, ubi istud ingēs mysterium tropi ipsorum latitet, & quænam sit uera significatio uerborū sacrosancti testamenti filij Dei.

CONTRA 5. SOLUTIONEM.

Eiusdem generis est quinta solutio, cū superioribus, ut quæ meam demonstrationem non recta oppugnet, sed tantum extraneis quibusdam sophismatibus, ueluti ludicris quibusdam uelitationibus exagitet, quod ex sequentibus patebit.

Argumentatus ego fueram ex ordine rerum & actionum Dei in nostra salute peragenda. Primum, q; Deus ad nos mittat legatos, uerbo ac sacramētis instructos, qui nos ad

reconciliationem cum Deo, aut lautissimum
nuptiarum filij sui conuiuium inuitent: dein
de, quòd per illa media aut instrumēta uer
bi & Sacramentorum corda nostra expugnet,
ac in nobis fidem excitet: Tertio quòd ea fide
ad thronum gratiæ accedamus: Quarto quòd
ibi potiamur remissione peccatorum, in habi
tatione Dei in nobis & renouatione. Quæ de
niq̄ sequatur uita æterna, omnium benefici
orum colophon. Hanc seriem rerum aut acti
onum debebat iste euertere, si uoluit meam
demonstrationem euertere.

At ille id adeo non facit, ut contra in sua
Summa de Sacramentis, testetur & asserat, uer
bum & Sacramenta esse media aut instrumen
ta ad fidem: fidē esse mediū aut instrumentū
ad apprehendendum Christum cum suis me
ritis. Quia in confessione dicit sacramenta es
se instrumenta in eum finem directa, ut unia
mur cum Christo.

Quare tum eius confessio, tum mea demō
stratio, adeo apprehensionem aut fruitionem
Christi, seu eius in nobis inhabitationem, ab
essentia sacramentorum separāt, ut unum in
tegrum terminum, nēpe fidem, aut etiam plu
res motus in medio interponant: Sic iste bel
lus disputator, meam demonstrationem adeo
non soluit, ut eam potius contra potentissimē
confirmauerit.

Quid igitur dicit tandem, cū ea quæ sunt
primaria omiserit? Primum dicit me nimium
parcē ac tenuiter de Sacramentorum usu ac fi
ne

ne loqui. Respondeo : professus sum hic me tantum ordinem aut seriem rerum ostensurum, non plenè totam earum naturam expositurum. Præterea qui per uerba & Sacramenta fidem gigni iu nobis indicat, is omnia bona uno fasce complectitur, nam ea mendica manus, omnia bona à Deo impetrat. Secundo dicit me præterire communicationem Christi. Falsum est: An non dixi nos frui Christo?

Tertio in hæc uerba erumpit, Quis non uidet istum (ut uertiginosi solent) seipsum con-scindere? Nam si uera sunt quæ dicit, Sacramenta solis Fidelibus erunt Sacramenta, cum non possit in alijs, quàm impijs excitari fides.

Non sequetur hoc, sed id tantum sequitur, quod illis tantum erunt efficacia ac utilia, qui per ea fient fideles: Ex uestro uerò paradoxo clarè sequitur, quòd Sacramenta sint tantum uerè pijs Sacramenta, & quòd hypocritæ non communicent aut baptizentur, ut qui incorporationem (utor eorū uocabulo) in Christum, aut spirituales fruitionem Christi in ipsam essentiam, cuiusuis Sacramenti collocatis. Quare eum, qui tempore suæ hypocrisis, aut cum caruit uera fide, baptizatus est, cum uerè credet rebaptizari oportebit, ut ei uerè hoc Sacramentum contingat.

Quartò dicit, quòd, si fateor fide nos accedere, ut ibi Christo eiusque beneficijs fruamur, tollam indignorum communicationem. Respondeo, nequaquam loquor ea uoce de fructibus.

sacramenti. Aliud enim est (ut & Augustinus testatur) Sacramentotenus seu sacramentaliter in cœna edere corpus Domini, aliud spiritualiter eum cum Patre ac spiritu sancto in nostrum hospitium recipere, & per illarum personarum inhabitationem renouari: prius illud est etiam indignis commune, hoc solis uere pijs. De omnibus etiam indignissimis, dato cibo in sacra cœna, dicit Dominus, Hoc est corpus meum, Sed de spirituali fruitione sui, inquit: si quis sermones meos seruauerit, ueniamus ad eum cum patre, & mansionem apud eum faciemus. Distingue longissimè has duas diuersissimas res: Verùm hoc, sicut & præcedentes cauilli, nihil planè facit ad euerendam summam meæ demonstrationis.

Quinto ita scribit, Deinde, quæ hæc fabula est? Quis. n. nostrum unquam dixit, Verbum aut Sacramenta esse ipsa spiritualia bona, quæ à Christo hauriamus? Respondeo, Ego scripsi in mea demonstratione, ut sequitur. Verbum igitur ac Sacramenta, quæ primo loco sunt, & ueluti instrumenta quædam in expugnando nostro lapideo corde adhibentur, nō sunt propriè, si ipsam essentiam eorum consideres, ipsa spiritualia bona aut meritum Christi, seu spiritualis carnis, aut passionis Christi manducatio, ut isti contendunt, sed excitant in nobis fidem, eiq; unicum Dei agnum, peccata mundi tollentem, aut tribunal gratiæ monstrant, ac nos eò deducunt, ut ibi spiritualem uictum alimentumq; consequamur, eoque perfruamur.

Qua

Qua uerò frōte negat iste, se suosq; talia di-
cere aut docere, nempe spiritualē fruitionem
& māducationem Christi, esse uel pręcipuam
ac primariam substantiam sacrae coenae. Ipse-
met supra fol. 94. & quæstione 5. hoc modo
scripsit, Internam materiam, siue REM ipsam
sacramenti, sæpe iam diximus à nobis dici, nō
tantum QVICQVID à Christo in NOS DE-
RIVATVR, Sed ipsum inprimis Christum.
An potest intima rei materia aliquid aliud ab
ipsa re esse? Satis ne ergo sanus est, quòd negat
se docere, quòd sacramenta sint spiritualia bo-
na à Christo in nos deriuata? Quod quæso tan-
dem discrimen est inter ista duo, Materia seu
res seu substantia Sacramenti est Christus, cū
omnibus suis bonis in nos deriuatis: Et Sacra-
menta sunt ipsa spiritualia bona, à Christo ac-
cepta, seu spiritualis eius manducatio. Ego co-
ram Deo testor me iudicare eum secum scē-
dissimè pugnare.

Postremò ait: Deinde cuiusmodi est illud
dictum, Sacramenta ratione sui effectus, non
autem essentia suæ sursum corda abducere?
Vnde enim hæc efficacia sacramentorum, ni-
si ex eo ipso cuius sunt sacramenta? Respon-
deo, Nihil est dubij, omnem efficaciam uerbi
ac sacramentorum esse à solo Deo, sed interim
necesse est distingui inter Deum, essentiam sa-
cramenti, & deuotionem aut etiam fidem per
ea in corde meo excitatam, quod isti sursum
corda uocant.

Meū sursum corda, aut fides fruens Chri-

C 5 ste

Ro & eius spiritualibus beneficijs, non est es-
sentia Sacramenti, sed effectus aut usus eorū,
sicut ipsemet initio huius solutionis aut poti-
us cauillationis factus est hisce uerbis . Quis
unquam ita ieiunè ac tenuiter, de Sacramen-
torum V S V & sine L O Q V V T V S
est, ut Illyricus ? Præterit certè quod P R I
M A R I V M ac præcipuum est, ipsius ni-
mirum Christi C O M M V N I C A
T I O N E M.

En audis eum mecum inter usus, aut fi-
nes, seu fructus, uel effectus sacramentorum
collocare spirituales Christi communicatio-
nem. Non est igitur ipsa res aut essentia sacra-
mentorum : Quod tota hæc mea demonstra-
tio effectum uolunt . Concludo igitur eius
proprijs uerbis, quibus ille hanc solutionem
incepit. Obsecro uero lector, quis Bezam exi-
stimet sobrium ista scripsisse.

CONTRA SEXTAM
SOLUTIONEM.

Eckius insignis Sophista Antichristi, cum
aliquod ei argumentum in disputatione Ra-
isbonensium comitorum anni 1541. & a-
liàs obiectum est, quod soluere non potuit,
solitus est fingere, se non intelligere, ac dicere
esse quoddam sophisma, studio intricatum
ac inuolutum, &c. Sic Beza hic clamat, se Be-
zam esse non Oedipum, non intelligere mea
inuolucra. Atqui satis clarè loquutus sum, &
qui

& quidem multò clarius quàm ei uolupte fue-
rit: Sumpta enim est mea demonstratio, ex or-
dine rerum & actionum in sacra Cœna posi-
tarum: Summa eius sit hæc: In sacra Cœna
necesse est nos secundum uerba Testamen-
ti Filij Dei de rebus differere & credere: At i-
bi primum ponitur exhibitio elementorum,
& participatio corporis ac sanguinis Domi-
ni, Deinde promittitur passio eius, nostri
causa fienda, in qua simul omnia bona aut
beneficia CHRISTI comprehenduntur:
Tertiò ponitur eius memoria, quæ propriè
est fides in singulorum cordibus. Memoria
certè notitia est, quæ autem alia notitia, me-
moria aut recordatio passionis potest esse in
singulorum piorum cordibus, quàm ipsa fi-
des? Sicut & Calvinus in sua Harmonia expo-
nit, ut nobiscum cogitemus ac reputemus,
peccata nostra passione CHRISTI ex-
piata esse. Porrò effectum fidei clamant isti
semper & Calvinus quoque in Harmonia,
esse manducationem CHRISTI. Qua-
re necessario sequitur ex ordine rerum, in
Sacrosancto hoc Testamento à CHRIS-
TO positarum, ut spiritualis illa mandu-
catio aut fruitio Christi post totum hoc Te-
stamentum, collocetur in fines aut fructus:
Sicut ipsemet in præcedenti solutione, mox
post initium dixit, inter usus aut fines sa-
cramenti esse uel præcipuum, communicati-
onem Christi.

Nihil plane aliud hæc mea Demon-
stratio

stratio uult, quod ipsemet supra in summa de sacramentis dixit: Sacramenta esse media aut instrumenta ad fidem, fidem esse medium aut organon ad fruitionem Christi: & quod in confessione habet sacramenta esse instrumenta in eum finem ordinata, ut nos per ea spiritus S. uniat cum Christo. Obserua finis est ista unio aut spiritualis perceptio. Quid ergo potest hic iure in mea demonstratione accusare?

Si uoluit eam redarguere, debebat probare, Christum non sic nobis sua beneficia, res aut actiones in suo ultimo inuolabiliq; testamento ordinasse, ut ego ostendi. At ille omissa ipsa summa aut sententia demonstrationis, singula tantum quaedam uerba arrodit cauillaturq;.

Quoniam uero diximus quam prorsus non attingat rei fundamentum, nunc dicamus, quibus sophismatibus quasdam uoculas uellicet.

Primum ludit in ambiguitate uerbi recordari, aut recordatio, inquires. Recordatio & fides Illyrico idem declarant: Atqui noua nobis & plane paradoxa demonstratione opus est, ut nobis persuadeat Illyricus, aliquem eius rei recordari, quam prius non didicit.

Respondeo, sophisticetur quantum uelit, non potest negare sacramenta ad gignendam & augendam fidem esse data, eamq; eorum esse effectum. Hoc enim cum per se est uerissimum ac notissimum, tum etiam ipsemet supra facie

cis 29. dixit. Non potest etiam negare illa uerba, hoc in memoriam mei facietis, idem ualere, quod hoc sacramentum inter uos administrate, tum ad gignendam, tum ad excitandam quasi ex somno, & augendam fidem uestram. Illa uox Memoria ibi necessario Christianam noticiam significat passionis Christi. At quid tandem est aliud Christiana piaque notitia passionis, quam fides? Igitur uera fides, sibi beneficia Christi applicans, proprie filia ac alumna uerbi ac sacramentorum est, eoque rectissime hic à Christo in fine huius sacramenti ponitur, ad eam totum hoc argumentum dirigitur, & clarè se, suamque passionem apprehendere ac se frui iubetur.

Ανάμνησις, quæ uox in textu est, à uersoribus, aliàs per commemorationem, ut Eras. 1. Cor. 11. aliàs per memoriam uertitur, quo uocabulo & ipse textum sacræ cœnæ non raro citat, ac, ne fingere uidear, expressè in confessione eius fol 162 & alias. Sequentur uero mox plura testimonia liquido ostendentia, quod memoria in uerbis sacræ cœnæ fidem significet.

Porro ambiguitas huius uocis, qua hic ludit, hæc est: aliàs memoria alicuius dicitur notitia ipsius personæ, & rerum gestarum ad posterum propagata: aliàs recordatio significat actionem memoriæ, id est, potentiæ nostræ, qua recordamur eius, quod antea sciuimus. Iam cum Dominus instituit uerbum & sacramenta sua ad sui memoriam, non significat recordationem proprie, id est, istam actionem memoriæ

riæ

riæ nostræ, qua recordamur, sed propriè signi-
ficat, ideo illa esse in terris relicta aut institu-
ta, ut omnis posteritas ueram piamque noti-
tiam ipsius habeat: Sicut & Ioannes dicit, a-
quam & sanguinem, id est, sacramenta de
Christo in terris testari: Non hoc uult agitur
Christus, ut distinguat inter primam perce-
ptionem notitiæ, cuiusque homuncionis, il-
lius notitiæ retentionem, aut post obliuio-
nem, recuperationem, quo istius sophistici lu-
sus spectant. En uides maleficum sophis-
ma, & à Spiritus sancti suggestionem alienis-
simum.

Quòd si cum Cretense Cretizare omni-
no liberet, in isto ipso suo sophismate eum
capere possem: si enim ibi uult esse recor-
dationem, idem quod obliuione inductæ no-
titiæ recuperationem, sequetur nihilomi-
nus inde quod ego uolo, nempe antea ue-
luti semisepultam aut semisopitam fuisse fi-
dem, aut notitiam de merito CHRISTI,
nunc autem eam, per hoc sacramentum in-
stauratam & excitatam, apprehendisse Chri-
stum cum suis beneficijs eoq; frui. Quare fi-
dei manducationem non in præcedentibus,
cum illa fuit semisopita, peractam aut insti-
tutam, sed hîc in fine, ubi Dominus eius ue-
luti euigilationem eius per Recordationem
instituit. En tenetur proprio sophismate ca-
ptus & illaqueatus.

Huc potenter facit Pauli explicatio eius
ipsius uocis per correlatiuum facta, Mortem
Domini

Domini annunciate, donec uenerit. Quid enim aliud facit Doctoris prædicatio mortis Domini in publico ritu sacræ Cœnæ, quàm ut fidem in cordibus auditorum gignat? Ita uocabulum, Memoria, teste Paulo, per correlatiuum eam explicante omnino fidem significat. Quod enim uult singulos in corde suo facere, fidem concipiendo & exuscitando in passionem Christi, hoc uult doctorem erga omnes facere prædicando, nempe fidem in illis gignere ac suscitare, efficaciter cooperante spiritu Domini.

Confirmat istam meam sententiam, quòd Memoria in uerbis Cœnæ fidem significet, ipsemet antagonista in sua recentissima editione Noui Testamenti in minori forma, ubi eius scholion Paulinam explicationem Memoriam (Mortem Domini annuntiabitis), per uocem fidei exponit: Paulus enim uocem memoriam exponit per Mortem Domini annuntiabitis: Beza uero illud Paulinum, Mortem Domini annuntiare exponit per fidem, hoc modo:

Vera celebrandæ Cœnæ forma ex ipsius institutione petenda est, cuius hæ partes sunt, quod ad Pastores attinet, Annuntiare mortem Domini, prædicando ipsius Verbum, benedicere Panem & Vinum, inuocato DEI nomine, & eius institutione cum precibus explicata: ac demum fractum panem comedendum, & acceptum poculum bibendum tradere, unà cum gratiarum actione.

actione. Ex parte uero gregis, **PROBARE SE
IPSUM**, id est, explorare tum noticiam, tum
fidem, tum resipiscentiam suam : annunciare
mortem Domini, id est uera **FIDE** ipsius uer-
bo & institutioni assentiri: ac demum acceptū
ex ministri manu panem edere, & uinum bi-
bere, & gratias Domino agere. Hæc sunt Pauli
& Apostolorum liturgia.

En uides primum Paulum Memoriam in
sacra Cœna exponere per annūciare mortem
Domini, & Beza porro, illud Annunciare,
exponere per **FIDEM**. Cur ergo toties in
hac & sequentibus solutionibus negat, per il-
lud, in Memoriam mei, fidem significari, secū
pugnando?

Quare uoluat sese tortuosus Sophista, qui
buscunq; gyris uolet, nihilominus proprio &
sodalium suorum testimonio conuictus, con-
cedere cogetur, fidem per illam uocem Memo-
riam, significari, & poni post essentiam Sacra-
menti, eoq; etiam fidei manducationem aut
fruitionem Christi nō esse de essentia, sed fru-
ctum Sacramenti. Sic & Martyr in sua secunda
solutione, uocem Memoria in sacra Cœna ex-
plicat, inquit: Christus ne beneficium mor-
tis suæ nobis intercideret, hoc Sacramento uo-
luit memoriam nostram refricari: ut per **FIDEM**
in animo uolueremus, corpus suum fu-
isse pro nobis traditum in mortē, atq; ita cre-
dendo corpus illud manducaremus. En au-
dis hoc Sacramētum in nobis excitare fidem,
ut porro ea Christum manducet: eoq; & hunc
tuum

tuum sodalem tum FIDEM per memori-
am intelligere, tum manducationem illi me-
moriam postponere.

Secundum sophisma est quod dicit, Dein-
de cuiusmodi illud est, spiritualia beneficia
nos ad recordationem aut memoriam passi-
onis non dactare? Respondeo, ostendi memo-
riam ibi propriè fidem significare. Dixi igitur,
nec tu negare potes, fidem esse medium aut in-
strumentum apprehendendæ passionis, non
contra: non nego interim eos, qui perceperunt
beneficia Christi, passionis eius perpetuò gra-
tam memoriam celebrare debere. Nego spiri-
tualia beneficia esse propriè instrumentum ad
fidem, sed contra fidem apprehendere illa.

Obserua autem illam istius illustrem con-
tradictionem, cum inquit, postremo neminè
adhuc inuentum esse opinor, qui Christi frui-
tionem ante fidem collocarit. Contra ipsemet
supra facie 94. inquit: Oportet, ut cum Chri-
sto unum fiamus (intelligit ut membra & ca-
ro de carne eius fiamus seu fruamur, ut solet
ille exponere) antequam ex ipso quicquã hau-
riamus. Vides eum hic uelle incorporationem
nostram in Christum, aut eius manducationem
à nobis fieri antequam quicquam ex ipso hau-
riamus. Vnde autem hauritur fides, an non ex
Christo, Omnia certè eius beneficia, quæ ad sa-
lutem faciunt: Ergo etiam fidei præponit in-
corporationem.

Porro quod dicit, Sacramenta idcirco esse
instituta, ut Christum & eius beneficia in me
D tibus

tibus nostris obfignent, ego id non nego: facit enim plurimu n pro me, quia indicat hūc esse finem ac usum sacramentorū, ad quem instituta sunt, & obfignationem Christi, effectū sacramenti, non eius substātiā esse aut rem aut causam materialem.

Sed uidetur sophisticari in uerbo obfignari, quia literas oportet prius conscribi quā obfignari, & Christus prius est in sepulchrum collocatus, quā sigillo à sacerdotibus ibi obfignatus. Respondeo, obfignant sacramenta & uerbum in nobis res præteritas, præsentēs & futuras de Deo: Præterita, Christum pro nobis esse mortuum, præsentia, condonari nobis peccata, futura, nos uita æterna potituros.

En tibi bella sophismata, quibus ommissa summa meæ s. demonstrationis, aliquot uoculas cauillatus est:

Eius porrò uirulenta fanna nihil moueor, quòd dicit me etiā in ijs Ecclesijs foetere, quarum uideri uolo patronus: Scit enim me quibusdam collusoribus Babylonix meretricis foetere, eorumq; porrò mendacijs infamari, q non sim passus eos per uaria Interim cum illa Thaide Ecclesias Christi conformare, aut potius Papatum instaurare, cū ipse ac sui satis timidè, deserētes patrociniū ueritatis & laborātes Christi Ecclesias, tacuere, cū uel maxime debuissent Adiaphorizātibus publico scripto repugnare, & periclitantes ac repugnātes illis nepharijs conciliationibus consolari, quodque oppugno errores inde instauratos, liberū

ar-

arbit. & necessitatem operum ad salutem, ali-
aque eiusmodi Papistica fermenta, quæ ipse-
met cum suis hæctenus uoluit uideri impro-
bare. Ob quas sanctissimas causas, si uult me
exagitare, ipse uiderit, an non contra propri-
am conscientiam agat, seque participem per-
sequutionis & illarum fœdissimarum collu-
sionum ac errorum faciat.

CONTRA SEPTIMAM
SOLUTIONEM.

In septimæ Demonstrationis solutione,
denuo negat, Memoriam, in uerbis Testamen-
ti significare fidem. Contrarium supra proba-
tum est, igitur iacet hæc quoque solutio, aut
potius cauillatio. Sed adijciamus sanè adhuc
aliquot testimonia, ex ipsorum scriptis, quoni-
am hoc tam sæpè audacterq; negat.

Calvinus igitur de hac uoce agens, diser-
tè dicit, Cœnam esse Memoriale, quod talem
memoriam in nobis excitet, quæ constat tum
in fide, tum in fidei confessione, Totum cer-
tè constat suis partibus, Ergo huius memo-
riæ præcipuam partem aut essentiam uult es-
se fidem. Verba eius hæc sunt: iam Paulus ad-
iungit qualis debeat memoria celebrari, nem-
pe cum gratiarum actione: Non quòd tota
memoria in confessione oris sita sit: est enim
hoc præcipuum, ut mortis Christi uirtus con-
scientijs nostris obfignetur. Verùm hæc **C O**
G N I T I O accendere nos debet ad confessi-
onē laudis, ut apud homines prædicemus qd

SENTIMVS intus coram Deo. Est igitur Cœna quoddam (ut ita loquar) memoriale, quod perpetuo durare in Ecclesia debet, usq; ad ultimum Christi aduentum: in hũc finem institutum, ut nos Christus de beneficio mortis suæ admoneat, & nos coram hominibus id recognoscamus: Vnde & nomen Eucharistiæ habet. Itaq; ut ritè cœnam celebres, memineris abs te **REQVIRI FIDEI TVÆ** professionem.

En uides Caluinum istam mandatam in Testamento Christi memoriam, collocare in fide cordis, & oris confessione. At Lascus istorum intimus eam potissimũ dicit esse ipsam fidem, cuius hæc sunt uerba fol. 60.

Iuxta hanc Pauli doctrinam igitur de circumcissione nobis proditam eum esse præcipuum finem dicimus omnium Sacramentorum, ut per institutam (authore Deo ipso) **RECORDATIONEM**, in signo aliquo uisibili, nostræ cum Christo Domino communionis, **FIDES** illius animis piorum in eius Ecclesia penitus infigatur, ipsaq; adeo Ecclesia tota, in perpetua illius fruitione ad uitam usque æternam duratura, autore spiritu S. obfigentur, id quod in singulorum adhuc Sacramentorum explicatione plenius ostendetur.

Sic & Viretus fidem facit, istam memoriam aut commemorationem, quod hæc eius uerba testantur:

Sicut autem habent Christi uerba, Hoc facite in mei commemorationem. Quem uero
ex

ex his sensum elicere oporteat, Paulus ipsorū
interpres, his suis uerbis declarat: Quotiescun-
que enim comederitis panem hunc, & de po-
culo hoc biberitis, mortem Domini annuncia-
tis donec uenerit. Ergo interprete Paulo, qđ
Christus dixit de celebranda sui memoria,
idem sonat quod mortem Domini annuncia-
re, hoc est, mortis ipsius beneficium **A G N O**
S C E R E ac deprædicare. Quid tandem aliud
est agnoscere mortem eiusq; beneficia quàm
F I D E S?

Arguitur ergo ita potenter, tot sibi coniun-
ctissimorū scriptorū testimonio Beza, ut me-
rito posthac adeo aptæ ueritati resistere nō de-
beret. Concludo igitur, hoc Sacramentum, si-
cut & alia, esse à Christo institutū, ad memori-
am suæ passionis, id est, ad ueram piamq; ei-
us notitiam: porrò fidem esse ad percipiendū
Christum ac eius passionē directam, non con-
tra spirituales manducationem ad fidem: Si-
cut ipsemet dicit in confessione: sacramenta
sunt instrumenta in eum finem instituta, ut
uniamur Christo. Ista uerò unitio est isti mā-
ducatio illa.

Fingit se simul octauam demōstrationem
soluere, quam tamen reuera non attigit.

C O N T R A 9. S O L U T I O N E M.

In nona solutione iubet me probare meā
demonstrationem, esse enim eam petitionem
principij. Respondeo, mea demonstratio est sa-
tis confirmata, cuius hæc est summa: Omnis
ratio rectè docendi in sacris & prophanis, ta-

lis est, ut nos doceat, per quædam notiora, crassiora & quasi magis corporalia, quàm sint illa, de quibus docemur: Sed per uerbum & sacramenta docemur de apprehensione aut fruitione Christi & eius beneficiorum: Igitur illa manducatio, edite, bibite, Hoc est corpus meum, quæ Sacramenti huius essentiam constituit, est quiddam perceptibilius, quàm illa spiritualis fruitio Christi, eiusque spiritualium beneficiorum: aut certè Christus non est optimus docendi magister. Vide ipsam demonstrationem. Videt se eam non posse soluere, ideo ad tale profugium confugit, ut dicat esse petitionem principij, quod inane profugium eum manifestè redarguit.

CONTRA IO. SOLUTIONEM.

Hic dicit meam demonstrationem esse plenam puerilibus paralogismis, nec tamen quicquam ad eam reuera respondet, Sed aliena à proposito agit. Id à me uerissimè dici, ut quisque suis oculis cernat, adscribam meam illam demonstrationem, cuius hæc sunt uerba:

Illud, quod nos, ut medium quoddam aut uia, deducit ad perceptionem spiritualium beneficiorum Christi, uel per se, uel nobis certè & quodam respectu, ipsa perceptione ac fruitione uilius esse debet: Finis enim semper est (sua quadam ratione) preciosior suo medio aut instrumento, sed nihil est preciosius aut nobis salutaris spirituali manducatione ac fruitione corporis Christi, utpote quæ
est

est ipsissima uita ac foelicitas nostra summa:
Igitur spiritualis manducatio corporis Chri-
sti, non est medium aut instrumentum per-
ceptionis beneficiorum Christi, eoq; in essen-
tia Sacramenti collocari minimè debet, sed
in effectu. Finis enim semper suo modo pre-
ciosior est suo medio, ut dictum est.

Contra hanc demonstrationem ille non
tam pueriliter paralogizat, quàm fraudulen-
ter incautum lectorem ad aliena à mea de-
monstratione rapit: Primum enim dicit de
ambiguitate locutionis, **R E S S A C R A -**
M E N T I, cuius ego nec unica quidem sylla-
ba mentionem feceram, imò etiam uti non so-
leo: ipsi uerò quia ambigua est, ubiq; eam in-
culcant. Quid ergo ad meam demonstratio-
nem illa ambiguitas eiusue explicatio?

Secundò distinguit duplicem significatio-
nem manducationis, ne tamen applicat ad
meam demonstrationem, ut ostendat, quo-
modo ego uel rectè uel malè usus sim eo uo-
cabulo. In qua parte prodigiosis obscurita-
tibus & contradictionibus, se aut lectorem in-
tricat, quas subindicabo: Dixerat modo
R E M Sacramenti, aliàs Christum, aliàs eti-
am eius beneficia significare: hinc uerò hæc uer-
ba interferit: cum sit potius manducatio id,
quod agendo **R E M** Sacramenti percipi-
mus. Quæro quid hinc sit **R E M** Sacramen-
ti agere? Num Christum agere aut eius bene-
ficia agere?

Præterea dicit primam significationem uo

D + cis

cis manducatio, notare actionem, & esse id, quod percipimus agendo. Verba eius hæc sunt: Nomen Manducationis dupliciter accipitur. interdum quidem ut Actio, quo sensu non dicimus manducationem Christi esse REM Sacramenti, cum sit id potius, quod Agendo REM Sacramenti, percipimus.

Quæro ex omnibus eius discipulis, & ex ipsomet, an intelligat, quod nam genus peregrinæ feræ hic describatur, siue uelit dicere, Manducationem esse actionem, quæ fit id quod percipimus. Siue quod RES Sacramenti fit id quod agendo R E M Sacramenti percipimus. Sunt plura in hisce paucis prodigiosa inuolucra, quæ omittam.

Ultimo loco me accusat sophistices, quod non discernam manducationem Christi à uita æterna. Respondeo, LOCUTVS SVM CVM CHRISTO, qui dixit, Hæc est uita æterna, ut te Deum uerum agnosant, & quem misisti Iesum. Si non licet sic loqui, arguat Spiritum sanctum: Agnoscere certè & apprehendere Christum fruitio aut manducatio eius est: at eam Christus dicit esse uitam æternam. En futes eius argutias. Obsecro autè te Christiane lector, an non præclarè hisce nugis meam demonstrationem expugnauit?

CONTRA II. SOLUTIONEM.

Hic iterum adscribam meam demonstrationem, ut eius solutio quàm apta aut praua sit, intelligi possit.

Rerum ordo diligenter obseruandus est,
Is

Is uerò in hoc negotio talis est: Sacramēta qui-
dem nos deducunt ad recordationem aut fi-
dem, Fides porro ad mortem, unde habemus
spiritualem fruitionem Christi eiusue corpo-
ris aut passionis. Igitur peruertunt ordinem
ac naturam huius longè grauissimi negotij te-
stamenti Christi, qui ultimum primo loco col-
locant, nempe spiritualem fruitionem aut man-
dicationem in ipsam essentiam Sacramenti.

Solutio porrò planè alia agit. Primum di-
cit me præponere corporalem aut externam
mandicationem fidei. Item me petere princi-
pium, debuisse probare corporalem mandu-
cationem, quam ego accipiam, ut quoddam
datum aut concessum ab aduersario. Respon-
deo: Ego nullam hic planè corporalis mandu-
cationis mentionem facio. Quid ergo hoc ad
meam demonstrationem? Memoriam in sa-
cra cœna esse fidem supra probaui.

Deinde urget fidem præcedere ante Sacra-
mentum, quia Paulus dicat, Probet se homo.
Atqui supra ipsemet adfirmavit, fidem esse fi-
liam & alumnam uerbi ac Sacramentorum:
Præterea illa suiipsius probatio aut explora-
tio ante sacramentum, est magis propriè ag-
nitio sui & suorum peccatorum, quæ est lega-
lis quædam notitia potius: ideo dicit Paulus:
Probet se homo, non dicit, edat prius fide
Christum.

Discrimen quoque est inter illos primos mo-
tus fidei, ubi est aliqua omnino pia notitia
Christi, & illos ultimos iam sibi per sacramen-

ta & Verbum perceptum Christum cum suis
meritis applicantis, quæ est propriè illa fides
fruens Christo, nos iustificans & seruans, quod
etiam in quotidiana instauratione fidei fit nõ
solum in prima inchoatione. De quibus moti-
bus ac natura fidei in libello de fide ante 18 an-
nos Vuitebergæ impresso, prolixè differui.

Ultimo loco hæc scribit: Postremò ipse si-
bi monstra fabricat Illyricus: Neq; enim ut se-
pissime iam dixi, **FRUITIONEM** Chri-
sti, sed ipsum Christum, qui spiritualiter per
fidem fruendus offertur **REM** siue **ESSEN-
TIAM** Sacramenti uocamus.

Respondeo, imò Beza sibi ac suis inferna-
lia monstra fabricat, qui Schuenckfeldiano
more, doctrinam ac Sacramenta habentia ini-
tium ac finem cum filio Dei confundit, dum
hoc ipso loco dicit, Christum esse **REM** aut **ES-
SENTIAM** Sacramenti, & suprà dixit, esse
materiam, esse substantiam, & similia. Item in
eo monstra fingit, quòd negat se fruitionem
Christi in essentia Sacramenti collocare, cū in
illis uerbis edite & bibit: Hoc est corpus me-
um, tantum spiritualement fruitionem aut man-
dicationem Christi intelligat, quæ uerba uel
maximè essentiam Sacramenti cõstituunt aut
exprimunt, ipsemet superius concessit.

CONTRA 12. SOLUTIONEM.

In hac tota solutione nihil prorsus reperio,
quod sit contra meam demonstrationem,
præterquam quòd initio dicit, me debuisse
probare antecedens: quod tamen antecedens,
quale

quale sit, non exponit. Verba eius hæc sunt.

Egregiè nimirum Illyricus hæc quoq;, modo probet antecedens.

Quod antecedēs putet, non intelligo, nisi fortè intelligat, Illud Memoriam in uerbis cœnæ significare fidem, quod satis supra solutione 6 & 7. probaui. Sin intelligit, me debuisse probare corporalem manducationem, nullam planè eius in hoc argumento mentionem feci. Quare & hæc eius cauillatio, nihil planè ad rem aut ad meas probationes facit, sed aliud agit, ut abducatur lectorum à mea demonstratione.

CONTRA DECIMAM TERTIAM

SOLUTIONEM.

Hanc totam demonstrationem, dicit se mihi studio gratificandi concedere. Habendæ sanè sunt ei gratiæ, quòd, quæ oppugnare prorsus non potest, cōcedat. Sententia autem meæ demonstrationis hæc est.

Verbum & Sacramenta sunt communia uerè pijs & hypocritis, sed fructus aut effectus eorum sunt solis credentibus proprij. Idem semen est, quod cadit in malum & bonum solum: Idè Baptismus integer contigit Iudæ, Simoni Mago, & Simoní Petro. Sic & sacra Cœna eadem, quo ad essentiam aut existentiam suam, contingit pijs & hypocritis, sed fructus aut spiritualia bona non itè. Est uerò fidei commestio aut fruitio Christi, uel maximus spūalis fructus. Igitur ea māducatio non pōt intelligi in uerbis comedite: Hoc est corpus meū,
quæ

quæ propriè ipsam existentiam sacramenti de-
scribunt, cōmunem credētibus & hypocritis.

Denuo tamen hic negat per Memoriam in
sacramēto fidē intelligi, q̄d supra est probatū.

Postremo quærit, cur pios & hypocritas
conferam potius, quàm pios & impios, & in-
de nescio quid lepidus homo diuinat. Respon-
deo, Impios intelligo uel planè alienos à Chri-
stiano nomine, uel prorsus ac propalàm epicu-
reos inter Christianos: qui, cum nec uerbum
nec sacramenta curent, quid eos attinet in usu
huius sacramenti nominare, quod soli ueri &
simulati Christiani frequentant, quos pios &
hypocritas nominare solemus? Diuinet hinc
quod uolet per ocium, aut somniet etiam.

CONTRA 14. SOLUTIONEM.

Hic primum me calumniatorem procla-
mat, quòd dicam priores Zuinglianos sustu-
lisse ex sacra cœna corpus Domini. At cōtra ne
diutius hīc immorer, proferam ex innumeris
locis aut dictis Caluini, illos hoc nomine accu-
santis, unum aut alterum:

Super 6. Ioan. inquit, Nec rectè etiam ILLI
sentiunt, QVI Christi carnem prodesse dicūt,
quatenus crucifixa est, COMESAM uero ni-
hil nobis afferre: quin potius COMEDERE
EAM necesse est, ut crucifixa profit. En audis
Caluinum accusantem Zuinglianos quòd ne-
gent comestionem carnis Christi.

Item ex Institutione: Neq; ILLI mihi SA-
TISFACIUNT, qui nonnullam nobis esse cō-
munionem agnoscentes, EAM dum ostende-
re

re uolunt, nos SPIRITVS modò participes faciunt, præterita carnis & sanguinis mentione. Quasi uero illa omnia de nihilo dicta forent: CARNEM eius VERE esse CIBVM, SANGVINEM eius VERE esse POTVM. Non habere uitam, nisi qui carnem illam manducauerit, & sanguinem biberit, & quæ eodem pertinent. Quare si ultra eorum descriptionem solidam, Christi communionem progredi cõstat, quousq; pateat & sese proferat, paucis perstringamus. Hæc an non contra Zuinglianos dicta sunt?

Hoc cum Beza sciat à Caluino uerè scriptum esse contra Zuinglianos, & tamen id audeant negare, & me hoc nomine calumniari, an non est dignus, quem nemo posthac, uel loquentem uel scribentem audiat, sicut ipse de me id adeo superbè & audacter hisce ipsis uerbis pronunciat?

Secundò proponit hoc sophisma, si signũ dare corporis sui, & uerum suum corpus dare, ita sunt inter se pugnantia, ut utrunq; simul stare non possit, quid obstabit quo minus Illyricus suo ipsius gladio iuguletur, &c.

Resistat istis diabolicis sophismatibus spiritus Domini, & ueritatem suam clementer illustret. Non dixi unquam dare signum, & etiã simul rem signatam esse contraria. Posset quis uel mille signa ac signata in unum saccum cõgerere, ac alteri tradere. Sed dixi contradictorium esse, si unum simplicemq; textum, modo per Metonymiam ita transformes, ut dicat, do
tibi

tibi alicuius rei signum: modo contra in propria significatione accipias, ut dicat, do tibi rem ipsam: Sicut iste modo clamat textum Sacrosancti Testamenti, Accipite & comedite, hoc est corpus meum, transformandum esse per Metonymiam, in hunc, Accipite & comedite, istud est symbolum corporis mei: Modo uicissim uociferatur, audio, quid ipsa uerba SONENT, ut clare Calvinus hisce uerbis scripsit super 1. Corint. 11. de uerbis Cœnæ Domini: Præterea audio quid VERBA sonent. Neque enim mortis tantum & resurrectionis suæ beneficia nobis offert Christus, Sed CORPUS IPSVM, in quo PASSVS est & resurrexit, hoc est, VERE nobis in Cœna dari corpus Christi.

Dixi (ut denuo repetam) unum ac simplici sententiæ, Accipite & comedite, Hoc est corpus meum, tam diuersos uel potius pugnantes sensus tribuere, esse contradictoria dicere, nec id ullam linguam admittere. Vnum de uno affirmatur uerumque est, si dicitur, signum non est res signata. Sin cōtra est res signata, non est signum. Quid ergo sibi uult ista diabolica sophisticandi libido, ut cum ego negem posse uerè uni simplici sententiæ tam diuersos sensus tribui, ille clamet, Tu dicis istas res simul stare, aut fieri non posse?

Scribit ibidem hoc modo, Eorū (nos intelligens) sententiā pugnare contra sacramentorū vsVM, qui spiritualis est & ad SPIRITUALEM vitam nos deducit. Respondeo. Imo uestra sententiā

sententia pugnat contra sacramentorum naturam,
quorum substantia aut existentia, aut (ut ita
dicam) corpus cum sit externum quid, & ueluti
corporale, uos id faciatis uel maxime spirituale.

Imò hisce ipsis suis paucissimis uerbis semet
damnat. Scimus enim aliud esse rem quam cum
que, & aliud usum eius, aliud esse id, quod de-
ducit alium, & aliud terminus aut meta, ad quam
illud nos ducit: (ut quo crasso exemplo utar)
aliud est nauis, aliud usus nauis, aliud ciui-
tas aut portus, ad quem nauis aliquem dedu-
cit. Si igitur Sacramentorum usus est spiri-
tualis, illaque nos ad spiritualem uitam deducunt,
igitur ipsamet Sacramenta non sunt illa spiri-
tualis manducatio aut fruitio Christi aut ui-
ta, sed ad Christum ducunt, ut eam apprehen-
damus, eiusque bonis perfruamur.

Post recitata aliquot mea uerba scribit hoc
modo, Primum enim, quod essentiam siue rem, siue ma-
teriam sacramentorum cum forma confundit, cer-
tum est læsæ mentis & erepti sensus communis ar-
gumentum. Bona uerba Beza. Quid si ego hoc
clare in te inuertam. Quis non nouit præter Be-
zam formam rei esse ipsam eius talem essentiam
aut existentiam? Vnde sunt illæ celebres sen-
tentia, forma dat esse rei, & forma essentialis.
Quis dicet aliud esse essentiam aut existentiam
domus, uestis aut ollæ, quam ipsam talem eius
formam? Contra, si quis cum Beza confundat
materiam cum essentia aut existentia rei, ac uo-
lens propriè loqui, dicat lutum esse ollam, aut
contra, an non desipiet?

Ego

Ego uerò nequaquam confundo materiã sacramentorum cum forma, sed dico materiã esse elementa & corpus ac sanguinem Domini, formam autem ipsam seriem rerum & actionũ sic diuinitus ordinatã ac ad certũ usum, Accipite comedite, bibite, Hoc est corpus meum, &c. directã, ac eam totã rerũ actionumq; seriẽ uoco essentiam sacramenti. Hinc iudicet doctor, leuter nostrum careat communi sensu.

Porro in sequentibus dicit esse manifestã impietatem, quòd dico sacramenta posse esse nuda signa. Et paulo post dicit. Et, Quis iste stu-
por, postquam affirmaris sacramenta posse esse nuda, statim negare fore nuda signa, etiam-
si tantum panis & uini sumptio esset institu-
ta? Respondeo, dixi sacramenta in suo esse, existẽtia, aut (ut ita dicam) corpore posse esse nuda, modo interim adsit amplissimus, diuinitusq; ordinatus effectus fructus aut utilitas, qui ea abundè uestiat: sunt in essentia nuda signa, sed in effectũ afferunt gratiam, cuius sunt signa: Sicut dixi in Baptismo institutam esse realem nudamq; lotionem aquæ, at non reale præsentiam aut lotionem sanguinis, sed porro in effectũ aut fructũ, ex ordinatione Dei, afferre ablutionem aut remissionem peccatorum. Cur ergo maleficis sophismatibus dilucidas sententias inuoluit? Circumcisio teste Paulo fuit signum & sigillum iustificationis, si igitur sacramenta in suo fructũ aut effectũ afferunt iustificationem nequaquã erunt nuda signa.
Quòd essentiam Baptismi uult esse aquam &

& non ipsum Baptizari aqua, & quòd dicit nò
aliam esse manducationem corporis Domini
in cœna quàm in Baptismo, cùm id non pro-
bet, nunc omittam, postea in appendice pro-
lixius de ea re acturus.

In institutione sacræ Cœnæ clarè de dato
cibo dicitur, Hoc est corpus meum, de aqua
autem Baptismi nequaquam: Sacrilega ergo
hæc audacia quiduis temere affirmandi dete-
standa est, præsertim in Theologo rebusq;
diuinis.

Postremò de eius último cauillo respon-
deo. Accusant eos alij quòd in essentia huius
sacramenti seu causa formali nuda signa col-
locent, à qua accusatione ego eos non libero:
In finali uerò causa hoc eis non perinde obij-
citur. Distinguat ergo rectè & soluetur dubiũ,
concidetq; eius sophisma.

CONTRA 15. SOLUTIONEM.

In hac demõstratione dixeram primũ
Sacramenta esse signa spiritualis fruitionis: I-
gitur non esse ipsam fruitionem: Huius argu-
menti summam omittit, quæ semper primo lo-
co in solutione cuiusuis argumenti soluenda
est, monstrato uitioso nodo. Dixit igitur se pu-
dendos quosdam meos errores ex hac demon-
stratione colligere uelle. Audiamus igitur
istos adeo pudendos errores, unà cum eo à ue-
ro scopo argumenti recedentes.

Primum dicit me ambiguo uocabulo
σφραγίς contra mentem Pauli abuti. Nec
tamen uel declarat, uel probat hoc, uel ad mei
E argumenti

argumenti uitiositatem applicat, fugitans nra
mirum lucem: atqui clarè adscripti signum, ut
uocem exponerem.

Deinde dicit esse ridiculum, quòd dicam, sa-
cramèta ratione essentiaè suæ esse signa, Respõ
deo, omnino sunt ratiõe essentiaè suæ signa, id
est, ipsa existentia illorum est signum, sed ea-
tenus, quatenus ad significandum aliquid est
destinata. Nam in posteriore parte cœnæ ferè
in fructu collocat Dominus ipsa beneficia spi-
ritualia seu fruitionem sui per fidem factam,
quæ per sacramenta significantur. Num ergo
meum fuisset expũgere fructus ex usu sacra-
mentorum, & ibi signa sacramentorum collo-
care? Nonne & ipsi usq; ad rauim ingeminant
panem & uinum esse signa, & definiendo di-
cunt, sacramentum esse signum, ponentes id
pro ipso genere: Num effectus alicuius rei
potest ei tribui pro genere in eius defini-
tione?

Dico ergo denuo, sacramentorum essen-
tia aut existentia est signum quoddam: usus
eudem & effectus sunt ipsa spiritualis fruitio
Christi cum suis bonis, quæ bona per hæc si-
gna signantur.

Alterum meum pudendum errorem his-
ce uerbis exponit, Alter error in eo positus est,
quòd promissæ tantum iustificationis memi-
nerit, præterito eo, unde ipsa iustificatio hau-
ratur. Bone Deus quantus error? Nempe pro-
cul dubio sentio, non iustificari hominem
per Christum. Respondeo, Volui uti uerbis
Pauli

Pauli studio, ne uiderer aliquod meum com-
mentum afferre. At ille inquit, non subleuat
te Pauli autoritas, quia ille ibi non ex profes-
so uoluit Sacramentariam causam tractare.
Respondeo, Nec ego uolui ex professo, in om-
nibus lineis omnia, quæ coniungi possunt, e-
numerare. Quo ergo tandem euanescit ista
bulla figmenti Bezæ de meo adeo retro er-
rore?

Negar etiam esse in sua doctrina perturba-
tionem, quam ego somnio, quia in postero-
re parte sacræ Cœnæ usum & fructum expo-
nant. At inde est perturbatio & confusio,
quod spiritualementem fructum aut manduca-
tionem Christi, qui primarius totius religio-
nis fructus est, in prima parte sacræ Cœnæ col-
locent, ubi tantum ipsum sacramentum aut
signum, quod ad suam essentiam attinet, de-
scribitur: Quare spiritualis manducatio in
usus sacramenti uel fructus collocanda est, si-
cut & ipse paulo ante dixit sacramenta nos
deducere ad spirituales usus: De qua re in fi-
deli admonitione, in prima demonstratione,
& denique in primæ ipsius solutionis refuta-
tione plenius dixi.

Hisce sophismatibus propositis, recitat re-
liquum textum meæ demōstrationis, & mox
hæc subiungit, quæ, ne fucum uidear lectori
facere, adscribam.

Obsecro uerò an cuiquam Christiano, ne-
dum in Ecclesia Christiana magistro, po-
tuerunt ista excidisse? Centies iam incul-

cavit Illyricus, Imò ab hoc ipso exorsus est bel-
las istas demonstrationes, q̄ his uerbis, Hoc
est corpus, &c. usque ad uerba, QVOD pro
uobis traditur, essentia Sacramenti describa-
tur: Nunc uerò sui ipsius oblitus, posteriorem
partem, id est, memoriam passionis, uult esse
rem significatam Sacramenti.

Audio hic contumeliosè mihi obijci fœ-
dissimam contradictionem, at ipsam contra-
dictionem perspicere non possum. Mihi enim
pro mei ingenij tenuitate, non uidentur ista
duo inter se pugnare: Essentia huius Sacramē-
ti describitur in hisce uerbis: Dedit cibum ac
potum, dicens, comedite & bibite, Hoc est cor-
pus meum: & illa est etiam signum: fructus ue-
rò aut effectus in hisce, quod pro uobis tradi-
tur: & in memoria meæ passionis, quæ sunt,
aut certè per ea indicantur, significata bona
huius Sacramenti. Hæc mihi adeo non uiden-
tur pugnare, ut censeam ea potius optimè con-
sentire. Iudicent candidi lectores.

Post hunc terrificum fumū uanitatis sub-
ijcit alia quædam bella sophismata, quæ per-
censebo.

Primū est hoc. Solet perpetuo Illyricus in-
culcare se τὸ ἕν τὸν retinere: Atqui panis dici-
tur corpus non memoria passionis corporis.
An aliud est ESSE alicuius, quàm ipsius
met ESSENTIA? Respondeo. Hæc dire-
ctè contra ipsum pugnant: si dicitur esse cor-
pus, non dicitur significare corpus. Si esse ali-
cuius EST ipsiusmet essentia, non est signifi-
cantia

cāntia aut umbra aut figura aut symbolum.
Hæc nihil contra meam demonstrationem,
sed contra ipsum uehementer certant.

Secundum sophisma est hoc aduerbum, sa-
cramentum rectè definitur uisibile uerbum.
At iste ipsam corporis Christi māducationem
non pro re sed pro signo accipit: an uero aude-
bit ipse dicere nō tantum hunc panem, sed e-
tiam ipsum corpus uisibiliter edi? Respōdeo:
Etiam si ab aliquibus dicantur Sacramenta ui-
sibilia uerba, non tamen ita definiuntur essen-
tialiter, quasi tota ratio Sacramenti sit ea defi-
nitione exposita. Num enim negabit iste, esse
ullam particulam huius aut alterius Sacramē-
ti, quæ non sit uisibilis? Vbi manebit promissio
& reliquum uerbum uocale, quod est ele-
mento adiunctum, quodq; est ueluti cor Sacra-
menti? Nū & illud erit uisibile? Deniq; ista de-
finitio uel maximè cōtra ipsum facit: nam ea
manducatio externā aut oris, quam nos sim-
pliciter Christo assentiendo credimus, est ma-
gis quiddam corporale, & (ut ita dicam) in sen-
sus, si nō planè externos, at saltem internos in-
currens, quàm illa ipsorum fidei fruitio aut
manducatio, seu incorporatio, quam nulla co-
gitatione assequi possunt, quam ipsi ex sua Me-
tonymia cudunt. Vides pie lector, quomodo
semet ista bella sophismata consumant.

Tertium sophisma est, quòd inter signa &
res significatas oporteat esse omnino analogi-
am, id est, similitudinem quādam: Ac inter pa-
nem & corpus esse pulchram conuenientiam:

Sed inter corpus Christi & beneficiorum memoriam nullam esse conuenientiam. Respondeo, ex quo tandem oraculo petijt istud principium? Num Apollinis Delphici aut Delij? Quæ est similitudo inter signa tempestatum aut morborum aliarumq; rerum & significata eorum? Quæ est conuenientia inter Iridem & diluuium? Circumcisio fuit signum fœderis & fauoris diuini ac iustificationis: agnus paschalis fœderis & etiam transitus angeli, quæ uerò similitudo aut analogia eorum est?

Plus satis ei concinnissimam analogiam ostendi in mea demonstratione, quomodo manducatio Sacramentalis corporis Christi possit esse signum spiritualis manducationis hisce meis uerbis.

Sicut Baptismus, seu illa lotio externa est signum internæ simul & imputatæ ablu-tionis, quæ etiam effectus Baptismi est, non ipsa eius essentia: Sic & sacramentalis externa manducatio panis & uini corporisque ac sanguinis Domini est signum, & etiam medium aut instrumentum, seu memoriale spiritualis manducationis aut fruitionis Christi, quæ sola fide peragitur, sicut ipsemet Christus scopum aut finem aut rem significatam huius sacramenti dicit esse memoriam passionis, seu illius sacramento apprehensi PRO VOBIS DATVR, PRO VOBIS EFFVNDITVR.

Obserua etiam contradictionem. Dicit
hic

hic esse diuinissimam analogiam inter panem & corpus, inter uinum ac sanguinem, inter illos externos ritus & ea, quæ præstat intus spiritus sanctus. At supra solutione tertia dixit panem quidem esse destinatum ad significandum corpus, sed & fractionem eius ad significandam passionem. Ita ei ritus fractionis & distributionis modo passionem modo internas operationes Spiritus sancti indicabit.

Cur uerò hic adeo ægrè fert dici à me sanguinem eius uel potionem esse signum, cum Calvinus supra Exodi uigesimo quarto, clarè affirmet, sanguinem Christi in sacra Cœna esse sigillum eius fœderis. Sic & super Hebræos ac primæ Corinthiorum corpus esse pignus confirmatorium Sacræ Cœnæ, sicut nostræ Ecclesiæ in Sacra Cœna recitant admonitionem inter alia dicentem, dari nobis corpus & sanguinem Domini ibi Zum tewren Pfande, Ut sit præciosum pignus nostræ salutis. Pignus quid aliud tandem quæso est, quàm signum eius rei aut contractus cuius est pignus?

Sed adscribam locum Caluini, ne quid fingere uidear.

Summa est, sanguinem fuisse quasi intermedium, ut fœdus firmum esset ac stabile: quia dimidia parte irrigatum fuit altare, quasi sacra Dei sedes: aspersio deinde residuæ partis facta fuit super populum. Unde colligimus, fœdus gratuitæ adoptionis

E † per-

percussura fuisse cum ueteri populo in salutem æternam: quia Christi sanguine sub umbra & typo obsignatum fuit. Quòd si hæc doctrina uiguit sub lege, multo magis hodie. **APVD NOS LOCVM OBTINEAT, NECESSE EST.** Itaq; ut Dei promissionibus sua constet uis ac certitudo, semper hæc obsignatio in medium ueniat, ac meminerimus Christi sanguinẽ ideo semel fuisse, ut fœdus, quod uocatur in spem regni cœlestis, cordibus nostris insculperet. Qua ratione Christus in sacra Cœna sanguinem suum **TANQVAM SIGILLVM NOVI FOEDERIS** commendat.

Item 1. Cor. 11. Hic calix Nouum Testamentum est) Quod de calice prædicatur, pani etiã competit, adeoq; hac loquutione exprimitur, quod ante breuius dictum erat, panem scilicet esse corpus. Ideo enim nobis est, ut sit Testamentum in corpore, id est, **FOEDVS**, quod semel imolatione corporis sancitũ fuit: & nũc sancitur **UESCENDO**, dum scilicet & sacrificio illo epulantur fideles. Itaq; pro eo quod Paulus & Lucas dicunt, Testamentum in sanguine, Matthæus & Marcus habent, Sanguinem testamenti: quod eodem recidit. Fusus enim sanguis fuit, ut nos reconciliaret Deo: & nunc **BIBITVR** spiritualiter à nobis, ut reconciliationis simus participes. Quare in cœna et **FOEDVS HABEMVS, ET PIGNVS FOEDERIS CONFIRMATORIVM.**

Item Hebræorum 9. Hic est sanguis Testamenti, quod mandauit. Si ille sanguis Testamenti:

menti: ergo nec Testamentum sine sanguine ratum est, nec sanguis sine Testamento ad expiationem ualet. Ideo necesse est utrunq; coniungi. Et uidemus non nisi exposita lege additum fuisse symbolum. Quale enim sacramentum foret, nisi præeunte uerbo? Proinde symbolum quædam ad uerbum accessio est.

Item Hebræ. 10. Sanguinem Testamēti) cōparatione beneficiorum ingratitude augeat, Valde indignum est, sanguinem Christi, qui sanctificationis nostræ materia est, profanare. Hoc uerò faciūt qui desciscūt à fide: nam fides nostra non in nudam doctrinam respicit, sed in sanguinem, quo sancita est nostra salus. Ideo uocat sanguinem Testamenti, quia tunc demum ratæ sunt promissiones, **QVVM ACCEDIT PIGNVS ILLVD.** Sed modum confirmationis notat cū dicit nos sanctificatos, quia nihil prodesset fusus sanguis, nisi nos per spiritum sanctum eo irrigaremur, unde & expiatio & sanctitas.

En audis ipsum Caluinum confiteri sacrū sanguinem ac corpus esse sigillum. An sigillum non est signum? Item esse pignus, idq; erga nos noui fœderis: Cur ergo iste hoc nomine adeo importunè rixatur, meq; insectatur?

Quærit porrò etiam, cuius tandem rei erit panis signum, si non erit corporis? Respondeo, omnia elementa sunt signa totius sui Sacramenti, ut circūcisio sui fœderis, Pascha sui, Iris sui, sic & panis ac uinum sunt signa totius sacræ Coenæ. Præterea est signum gratiæ &

E 5 iusti-

iustificationis sicut & circumcisio. Quid horum negare potest? Paulus quoque 1. Corint. 10. uocans Ecclesiam panem, ostendit certè ut isti uolunt eam significari per panem. Id est ut iste male urget eius sensum, dicit panem significare nostram coniunctionem cum Christo. Quin potius ipse sibi met hisce suis uerbis respòdeat, Panis est efficax tessera nostræ cum Christo **CONIUNCTIONIS**. En audis panem esse signum nostræ coniunctionis cum Christo, non igitur corporis ipsius propriè: De qua re Augustinum postea audiemus.

Dicit humanam naturam Christi esse subiectum omnium eius beneficiorum, Igitur non posse esse sacramentum. Respondeo. Non tantum humana natura, sed & tota persona est subiectum, aut fons suorum beneficiorum: nec ego dixi, humanam naturam esse sacramentum aut signum suorum accidentium: sed sacramentalem corporis Domini mädicationem esse signum spiritualis aut fruitionis fidei: pugnat quoque hæc dicendo secum, quia si non potest esse sacramentum, non potest etiam esse essentia sacramenti, ut ipse contendit.

Regero ergo in ipsum eius uerba, in me im merito contorta. Et quis tandè erit istius stultitiæ finis?

Postremum sophisma hoc loco ex Ireneo textit, dicens, Eucharistiam constare duabus rebus, una terrena, altera cœlesti, & quærit ex me, quo loco ego corpus Christi collocem? Re

spon.

Spondeo, cum Ireneus ipse non satis significata duorum istorum nominum, terrenus ac coelestis, explicuerit, quo iure ego compellor, ut exponam quid ille uel terrenam uel coelestem rem uocauerit?

Sed quod quaerit de corpore Christi ex me, dico esse ambiguitatem in uocabulis, & corpus Christi alia ratione posse dici terrenum, alia coeleste. Terrenum est, quia certè in initio ex elementis conditum, & hic in terris de mortali mortale natum est, sicut & nostra corpora. Coeleste autem, quia est sanctum, quia glorificatum, & quia uiuificum fidelibus.

Verum ego quaero ex te Beza, qua conscientia tu audes externam corporalem manducationem corporis Domini autoritate Irenei oppugnare, cum ipse eam clarè eo ipso loco asserat, affirmans non tantum animas nostras, ut uos uultis, sed corpora ipsa ali corpore Domini, Adscribam Irenei uerba, ut omnes cernant, qua fronte & conscientia Beza istam causam agat. lib. 4.

Quomodo autem rursus dicunt carnem corruptionem deuenire & non percipere uitam, quae à corpore Domini & sanguine alitur? Ergo, aut sententiam mutant, aut abstineant offerendo quae praedicta sunt. Nostra autem consonans est sententia Eucharistiae, & Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram, Offerimus enim quae sunt eius congruenter, communicationem & ueritatem praedicantes carnis & spiritus, Quemadmodum

dum enim qui est à terra panis, percipiens uocationem Dei, iam non COMMUNIS panis est sed Eucharistia ex duabus rebus constans terrena & cœlesti: Sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam nō sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. Idem lib. 5. Et quoniam membra eius sumus, & per creaturam nutrimur, creaturam autem ipse nobis præstat, solem suū oriri faciens & pluens, quē admodum uult: eum calicem, qui est creatura, suum corpus confirmauit, ex quo nostra auget corpora. Quando ergo & mixtus calix et factus panis percipit uerbū Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi, ex quibus augeatur & consistit carnis nostræ substantia: Quomodo carnem negat capacem esse donationis Dei, quæ est uita æterna, quæ Sanguine & Corpore Christi nutritur? Hactenus ille.

Sic & Tertullianus corporalem manducationem asserit in libro de Resurr. hisce uerbis, Caro corpore & sanguine uescitur, ut anima Deo saginetur. Hanc eandem māducationem etiam alij Patres asserunt, de qua re ultima solutione aliquid dicetur: Qua ergo conscientia & fronte tu bone uir hæc ipsa Irenei loca contra corporalem carnis Domini manducationem citare audes?

CONTRA 16. SOLUTIONEM.

Decimam sextam demonstrationem totā concedit, sed consequentiam, quam porrò me ex ea subintelligere uelle suspicatur, pernegat. Demonstrationis uerba hæc sunt:

Chri

Christus uoluit omnia suæ passioni necessario coniuncta per semetipsum peragere, ipse met fuit sacerdos offerens, ipsemet fuit uictima oblata, ipsemet fuit mediator percutiēs fœdus inter nos & Patrem de sua passione ac merito eiusq; beneficijs nobis communicandis. Ipsemet intulit sanguinem suæ uictimæ in feriendo hoc fœdere, in sancta sanctorum ad suum Patrem. Ipsemet etiam sanguinem suum ad nos extulit ad confirmandũ erga nos quoque perinde, ut erga Patrem suum fœdus noui Testamenti, ut ipse etiã clarè uocat sanguinem datum in Cœna sanguinem Noui Testamenti aut fœderis, nempe, quo hoc nouum Testamentum aut fœdus inter Deum & homines, communicato eo utriq; parti sanciebatur. omnia igitur ista per ipsum & in ipso ipsiusq; proprio ueroq; corpore & sanguine peraguntur. Quare uerum natiuumq; sanguinem ac corpus suum nobis in sacra cœna distribuit.

Hisce Beza sic subscribit, concedimus omnia hæc Illyrice.

Negat uerò id quod porro ex hac demonstratione me inferre uelle suspicatur hisce uerbis. **NON SEQUITVR**, Datur nobis in cœna uerum corpus & natiuus sanguis, Ergo corporalis & externa eius est manducatio. Hoc mea demonstratio non habet: Sed ipse latenter me inde inferre suspicatur.

Respondeo. Cùm concedas (quod etiam si ne tua concessione mea demonstratio euincit) dari nobis in sacra Cœna ab ipso Christo, suũ uerum

uerum corpus ac natium sanguinem, ut eo confirmetur illud Nouum Testamentum, reliquum quoque ex uerbis cœnæ clarissime habetur: nam Dominus dans corpus & sanguinem suum dicensque, Comedite & bibite, manifestissime loquitur, de externa seu corporali comestione & haustiōe. Igitur habemus quod uolumus, tum ex tuo ore, tum etiā multo magis ex ipsius filij Dei unici magistri nostri.

CONTRA 17. SOLVTIONEM.

Initio huius responsionis conuiciatur acerbè, ut ubique, non animaduertens se sibi met contradicere, tum ignorantiam tum calumnias mihi in eo tribuendo: Qui enim peccat per ignorantiam, non peccat certè per studium calumniandi, & contra, qui libidine calumniandi peccat, is profectò nouit rei ueritatē, sed malitiosè ei repugnat.

Porro autem prolixè repetit summam sue sententiæ de Veteri & Nouo Testamēto, quam Heshusius potentissimis & euidentissimis argumentis, imò potius uerbi Dei efficacissimis oraculis ac fulminibus, prorsus prostrauit, ut si eam ulterius Beza tueri uelit, non summaria suorum somniorum recitatione, sed diuine autoritatis testimonijs illi ualde opus sit. Quare ego eam partem non attingam. Remitto lectorem ad aureum illum, & etiam priorē Heshusij librum, quibus satis ualidè ueritas est defensa & asserta.

Inter alia illud nō possum præterire, quod citās locū Pauli, quod oēs Patres eandē spūalem escam ederint

ederint & eundē spūalem potum biberint, ad-
dit de suo his Atq; nos: Cū Paulus prima colla-
tiōe manifestē solos Israelitas inter se cōferat:
postea demū eā collationē ad nos applicet. Pri-
mū. n. exemplū illustrat, q̄ sicut Israelitę, licet
oēs eisdem ingentib. mysterij miraculis ac be-
nificijs ornati fuerint, non tamen oēs etiā ser-
uati sint, sed perpauci tantū quidā: Sic & nos,
etsi oēs cōmunicemus de eisdem sacramentis
& uerbo, non tamen omnes seruabimur, Ve-
uero tanto magis nos illud exemplum moue-
at, exæquat & afsimilat, quantum potest, illo-
rum mysticas umbras aut typos nostræ ueri-
tati. Verūm de illius quoq; loci Paulini corru-
ptione abundē eos Heshusius redarguit.

Illud sanē nō possum nō detestari, q̄ epistolā
ad Hebr. et alias scripturas, gloriosissimē noui
testamēti mysteria in sacramēta ueteribus p̄fe-
rentes, eo fūco eludit, q̄ illa dicāt ex hypothesi
cogitationū aduersariorū: quasi tantū, p̄pter il-
los aduersarios ea dicta sint, & nō potius pro-
pter ipsam rei ueritatē. Talib. p̄stigijs, si admis-
tātur & nō potius (ut dignissimæ sunt) anathe-
matizentur, quæuis scripturæ eludi possunt.
Mox. n. dicent hæretici, illa nō propter ipsius
rei ueritatem, sed tantum propter prauam ne-
scio quorum hōminum opinionem illa dici:

Postremō effusa suorū somniorū summa, cō-
eludit hisce uerbis. Ex his quāta sit Illyrici in
his rebus ignorātia, cuiuis iam constare puto.
Quamprimū quis eorum pernicioso errori &
tot adiunctis sophismatib, nō assentitur, mox
in finitis

in finitis conuicijs, & præsertim, q̄ sit ignoran-
tissimus & stupidissimus asinus, Bestia, brutū
ac pecus, proscinditur.

Bene habet, malo potius Christi pusillus
alphabetarius esse toties per se suosq̄ affirmā-
tis duo Testamenta aut fœdera esse, quàm Be-
zæ eruditissimus discipulus, qui cōtra expres-
sissimum uerbum Dei contendit unicum re-
uera Testamentum esse, nisi quòd quibusdam
ritibus uariant.

Postremis lineis negat suos sanguinem &
corpus, quo hoc fœdus sanciat in typicum
transformare. Atqui suprà abundè probaui-
mus ex ipsorum proprijs scriptis, illis corpus
in sacra cœna per Metonymiam transforma-
ri in figuram, signum & symbolum corporis:
sed (ut ad meam demonstrationem & epistolā
ad Hebræos redeam) cūm Paulus dicat, Ve-
tus illud Testamentum à Mose sanguine typi-
co uictimarum sancitū esse externa illa asper-
sione, ut solent sacramenta externis quibusdā
notis obsignari, addatq̄ hoc Nouum Testamē-
tum meliori uictima sanciri, concedant tan-
dem necesse est, hoc esse signum aut sigillum
exterius communicatū, & nouum fœdus con-
firmans: sicut & illud olim à Moise externo o-
pere fuit Israelitis communicatum.

CONTRA 18.19.20: SOLUTION.

Has tres demonstrationes admittit. Vtinā
id ex animo faciat. Ego enim in illis probaui
euidenter, quòd ea communicatio corporis &
sanguinis in sacra cœna fiat, quæ non tam ra-
tionem

tionē beneficij aut fructus huius fœderis obti-
neat, quàm externi signi aut sigilli eam confir-
mantis, sicut tum semper alias tum Exodi 12
in sanciendo sacramēto paschatis & porro 24
in pangendo illo Sinaico fœdere de sanguine
alliis fœderalis uictimæ populo Dei cōmuni-
catum est, non ut fructus aut meritum oblati-
onis: sed signum aut sigillum tantum seu testi-
monium. Probauit etiam quòd uerba sacræ coe-
næ, Hic est sanguis Noui testamenti, inde trā-
sumpta sūt, & quòd sicut ibi propriè de corā
externoq; opere exhibito sanguine dicantur,
ita in nouo quoq; fœdere intelligenda accipi-
endaq; sūt, de corpore & sanguine Christi co-
ram externoq; opere exhibito in sanctionem
aut constabilitationem huius fœderis, ut solent
tales notæ aut signa fœderum exhiberi.

Hæc omnia si ex animo admittit, faciliot
erit ratio concordia: Sin callidè dissimulat, &
ueluti silentio sepelire uellet, cum oppugnare
non possit, urgēdus eis est, memoriaq; eorum
omnium renouāda. Quare adscribam 19 & 20
demonstrationem denuo.

19. demonstratio.

Perpetuus hic mos ac ius fœderum fuit,
ut de eiusdem fœderalis uictimæ carnibus &
suo modo etiam sanguine utraq; pars confœ-
derandorum participaret: Quare & hic Chri-
stus suum corpus ac sanguinem tum Patri in
sua passione obtulit, tum et nobis uescendum
in communionem tradidit: Qua de causa etiam
sacrosanctum hoc fœdus cum sua passione cō-

F iunxit,

iunxit, ut ita uno eodemq; tempore utriq; parti per fœdus hoc coniungendæ suæ fœderalis uictimæ sanguinem tradere posset.

Quòd si diuersis uictimis aut sanguinibus sanxisset hoc fœdus erga Patrem, quàm erga homines, non perinde utraq; pars ad id teneretur ac obligaretur, certauit de eius ueritate ac ualore esse posset: Certum igitur est eundem sanguinem testamenti aut fœderalis uictimæ utriq; parti exhibitum esse. Quibus adijce & illud, quòd Christus fuit mediator nō tantum noster erga Deum, sed & Dei erga nos, nec tantum cūm Patre nostri causa egit, sed etiam nobiscum Patris gratia, ut nos ipsi uicissim adiungeret, nosq; de patris uolūtate confirmaret. Sicut ergo patri sese obtulit placando eū, & feriendo nostro nomine cum eo fœdus, ita etiam ad nos conuersus nobis semet, dato corpore ac sanguine suo, in sanciendo hoc nouo fœdere aut testamento communicauit.

20. Demonstratio.

Illud Argumentum est etiam in priori scripto, seu in Fideli admonitione expositum, quod tamen hic quoque breuiter repetemus, quandoquidem maximi momenti est ad constabiliendam ueritatem, nempe quòd in ueteri Testamento in feriendo fœdere de eiusdem fœderalis uictimæ sanguine tum Deo oblatū est, tum & in populum atq; adeo etiam librū fœderis sparsum. Quin etiam iisdem uerbis illud fœdus sancitū est, quibus Christus in dando nobis sanguine suo usus est, quæ habetur.

Hebr. 9:

Hebrae. 9. τοῦ τοῦ αἵματος Ἰησοῦ, Hic est
sanguis Testamenti, &c. Idem etiam angelus
ac mediator Christus tum quoque populum
per Mosen ductavit, & illud foedus inter De-
um & homines sanxit, Omnia ergo, in hac qui-
dem parte, istorum duorum foederum con-
veniunt, eademque ratio feriendi foederis utrobique
est. Vel potius hoc novum ex illo transum-
ptum est, eoque eius naturam ac proprietates
in hac conditione refert, ac in semet continet.

Quare consensus actionis ac verborum fo-
ederis huius cum illo ostendit hoc foedus inde
sumptum esse, eiusque naturam referre, eodemque
modo hic quoque foederalis victimae sanguinem
utrique parti cofoederandae exhibitum, ac perinde
de quibus verba sacrae coenae proprie accipienda esse,
& non figurate, sicut & ibi proprie accepta sunt,
quandoquidem eadem ac in simili re ibi usurpata
sunt, nempe, Hic est sanguis Testamenti &c. Evi-
dentissime igitur ista duorum foederum col-
latio in sacra coena exhiberi communicationem
corporis Christi demonstrat. Haecenus recita-
vi duas meas demonstrationes, quas se concedere
affirmauit. Expendatur igitur earum sensus
ut verissimus sicut & 18. Iubet nihilominus
in fine, ut probe corpus Christi in terris esse,
& externo ope fieri. Ego autem dico id satis in
istis ipsis demonstrationibus demonstrari, quia nota
aut tesseret confirmantes foedus, ut est sanguis fo-
ederalis victimae coram idque externo ope adesse
debeat. Tum porro Christus in terris dixit te-
staturusque est, et quotidie in sacra coena in terris pos-

ministri sui dicit affirmatq; de illo coram exhibito cibo ac potu, Hoc est corpus, hic est sanguis meus. Cuius uerbo testimonioq; si quis assentiri nō uult, is sanè in sua pertinacia persistat, & meditetur dies noctesq; sophismata, quibus se aliosq;, remouēs ex oculis uerbum filij Dei, decipiat & excēcer: ut isti profecto strenue seduloq; factitant.

CONTRA 21. SOLUTIONEM.

Vigesima prima demonstratione primum ostendi ex Pauli 1. Cor. 10. & 11. textu diligenter considerato & inter se collato Corinthios omnino Sacramentarium quendam errorem habuisse de nuditate panis absentiaq; corporis Domini, eoq; Paulum eos redarguisse, cū quadam acerbitate interrogando, an negarēt aut ignorarent, poculum benedictum & panem fractum esse participationem corporis ac sanguinis Christi, & quæ aliæ ibi multæ probationes adscriptæ sunt. Quare dum Paulus eorum impiam opinionē redarguit, nostros quoq; aduersarios tantum reuera corpus Christi à sacra cœna separantes (ut ipsimet confitentur) quantum cœlum à terra distat, redarguit.

Secundò ostendi Israelitis non propriè fuisse Sacramenta aut religionis partem esum Mannæ, transitum maris rubri, & portionem aquæ de petra, sed propriè terrena quædam beneficia, ne isti illas umbras cum nostrorum Sacramentorum ueritatem commiscendo & argutando, ut solent, ueritatem nostrorum Sacramentorum, symbola pro ipsis rebus iactando,

iactando, euacuarent. Postremò ostendi, quòd dum Paulus dicit omnes Israelitas pariter eundem spirituales cibum ac potum sumpsisse, multo magis uelit indicare nos Christianos dignos ac indignos ex æquo eadem Sacramenta plenè percipere, tametsi ea alijs sint ratione effectus salutaria, alijs exitialia. Confert enim illos nobiscum, quòd sicut illi illos spirituales cibos omnes ex equo perceperint, ita nos quoque hosce.

Quid ergo ad hæc tam firma & ex manifesto uerbo Dei sumpta solutio dicit? In initio & in fine ponit diuinationes, in medio improbam calumniam. Singula inspiciamus.

Prima diuinatio sic incipit. Respondeo (inquit) PROBABILE non esse Corinthios, saltè pleròsq; adeo fuisse imperitos, &c. Ex ea sua probabili aut improbabili coniectura infert. Non rectè igitur Illyricus agit, qui Corinthijs iniuriam facit: Vbi uerò me ex sola probabilitate dānauit: redit & concedit, quod ante dixerat non esse probabile, inquiens. Sit tamè ita, si libet, & adeo fuerint illi rudes & imperiti, etc. Sic iste rhetor declamitat ex suo probabili ac improbabili in rebus Theologicis, meq; condemnat: Mox tamen ueluti oblitus sui, meam sententiam concedit. Hæc est prima pars ipsius solutionis.

Secundo loco ponit atrocem calumniam hisce uerbis. Quòd autem nugatur Illyricus res illas non tam fuisse religionis ergo, q̄ terrenæ & corporalis utilitatis causa Israelitis da-

tas, quis tandem Illyrico. credet potius quàm
Paulo spirituales illas uocanti, ipsiq; adeo pe-
tre nomen ipsius Christi tribuenti? Imò quis
istam prophanam Illyrici audaciam non exe-
cretur?

Huic calumniæ oppono historiam Exo-
di, quæ clarè docet illa Dei beneficia propriè
corporalis necessitatis gratia fuisse diuinitus
data, non ut essent religionis partes. Eodem
faciunt Psalmi eadem illa beneficia celebra-
tes. Certè si fuissent uera Sacramenta, Moises
aliquando tandem, toties eadem populo il-
li stupido inculcando, detexisset, quippe qui
etiam minores ritus adeo illis crebro repe-
tat ac declaret.

Sed opponit ille Paulum ea uocantem spi-
ritualem escam.

Respondeo. Audiatur hic non meum, sed
ueterum Patrum testimoniū, qui clarè dicūt,
ideo ea à Paulo sic uocari, quia erant res aut
beneficia non naturaliter, sed miraculosè præ-
stita, seu ratione causæ efficientis, non forma-
lis aut finalis. Adscribam primum locum Am-
brosij, qui ibi simul indicat aquam & petram
non propter sacramentum dici Christum, ut
iste uult, sed ipsummet Christum suo nomi-
ne significari & uocari petram metaphoricā,
aquam & omnia alia bona illi populo suppe-
ditantem.

Petra autem erat Christus) Manna & a-
qua (inquit Ambrosius) quæ fluxit de petra,
hæc dicit spiritualia, quia non Mundi lege
pā-

parata sunt, sed Dei Virtute, sine Elemento-
rum commixtione ad tempus creata, habentia
in se figuram futuri mysterij, quod nunc
nos sumimus, in commemoratione Christi
Domini. Ideo & panis angelorum dictus est,
quia Virtute, qua Angeli subsistunt, creatus
est, hoc significans, quia de cœlis uenturus
erat, qui spiritualiter pasceret, Unde & Man-
na primum dominico die uenit de cœlo ad
saturitatem populi. Sequens autem petra di-
cta est, quæ intelligitur esse Christus. Vbi e-
nim deficiebat humanum eis suffragium, ade-
rat Christus: ideo sequebatur, ut ubi defec-
set ille subueniret, nec enim petra aquam de-
dit, sed Christus.

Sic & Theophilus ac Oecumenius expo-
nunt eum locum. Hieronymus cibum spiri-
tualem intelligit dici Manna, quatenus fuit ty-
pus uenturi Christi. Sic & multi alij exponunt.

Ob eandem causam Manna uocatur eti-
am panis Angelorum Psal. 78. non quod reue-
ra eum angeli comederint, sed quod cœlitus
sit uisus descendere, perinde ac si angeli ei su-
am annonam communicassent.

Sed quis melior tantarum rerum censor
quàm Christus ipse, qui Ioan. 6. Manna secum
conferens negat FUISSE VIVIFICVM PA-
NEM, sed tantum terrenum. quod si fuisset ue-
rum sacramentum, & eius sacramenti res ipse
met Christus in Manna, aut cum Manna man-
ducatus, ut Beza uult, nequaquam profe-
ctò id dicere potuisset. Docet igitur clarissimè

ibi Dominus perinde Israeliticum illud Man-
na fuisse panem pereūtem, sicut suos illos mi-
raculosos panes, quibus eos paulo ante satu-
rauerat, quosq; illi sectabantur & captabant.

Fuit igitur Manna reuera corporale bene-
ficium, sed spirituale dici potest, ratione causæ
efficientis miraculosæ, ut modo ostendi Am-
brosium & alios exponere: Addat si quis uult
quia fuit typus futurorum spiritualium bene-
ficiorum: Item quia excitare debebat omnes
sanos, illud tam grāde ac miraculosum bene-
ficium ad studium ueræ pietatis. Cū igitur
Christus ipse pronunciet, Manna non fuisse ui-
uificum cibum, sed propriè tantum huic ter-
renę uitæ destinatum, quis non excretur istā
istius profanam audaciam calumniandi ueri-
tatem cœlestē, nō me miserum homuncionē?

Sic & Oecolampadius Mannam de terre-
no tantum cibo intelligit hisce uerbis loquēs.
Ita distinguit inter Manna: quia manna non
absq; diuino dono concessum Patribus: sed il-
lud manna nemini concedebat æternam ui-
tam. Qui hodie comedebāt solum uno die pa-
scebantur, & sequenti die iterum colligere co-
gebantur. Id est, externus ille cibus non potuit
illis æternam uitam concedere.

Postremò iterum diuinat Paulum longè
alio sensu dixisse omnes Israelitas comedisse
eandem spirituales escam, quàm Illyricus pu-
tet, sed nō probat, ut solet, quia τὸ αὐτὸς ἔφα
sufficit tanto uiro. Sic in fine itidem sua autho-
ritate pronunciat, non magis incredulos peroi
pere

pere corpus Domini, quàm si dixerimus aliquem dentibus, oreque carentem corporali cibo uesci. Sic ille meas demonstrationes gladio suæ audaciæ ut Alexander Gordium nodum resoluit.

CONTRA 22. SOLUTIONEM.

Confundit in unum caput solutionem quatuor demonstrationum, 22, 23, 24, & 25. ut sic melius in tanto, tamque confuso cumulo latere possint eius sophismata, & si quid non solum relinquit, Ego tamen, quoad potero, distinguam, ut singule tractationes separate, tanto facilius dijudicentur, minusque lectorem aut rudem, aut etiam festinantem, perturbent.

In hac igitur 22 mea demonstratione ostendi Calvinum & Osiandrum eadem rationem ac medium iustificationis facere, nempe inhabitationem Christi totiusque diuinitatis in nobis. Id uero ut tanto clarius monstrarem, contuli diligenter eorum testimonia bona fide ac prolixè recitata, quæ sæpe ita ad uerbum conueniunt, ut possis penè suspicari alterum ex altero aliquid descripsisse.

Ad hanc uel demonstrationem uel collationem utriusque illorum communis erroris, & ad tam euidencia & potentia testimonia nihil aliud Beza respondet, quàm ut dicat, Calvinum præ omnibus alijs præclarissimè Osiandrum refutasse, meque eius institutiones legere iubet. Ad testimoniorum uero ex utriusque libris prolatorum explicationem ne gry quidem aut hilum.

Respondeo. Fieri potest, ut aliquos eius er-

F 5 rores,

rores, aut erroris partes refutauerit, in aliquibus autem minimum cum eo sentiat. Fieri etiam potest, ut postea rectius edoctus aliorum scriptis, sententias suas emendauerit: satis enim serò ac post alios omnes eum refutauit, & quidem, quantum mihi constat, post eius mortem demum. Responde interim tu ad testimonia euidentissima meæ demonstrationis, siquidē professus es, te eas uelle soluere ac refutare. Vbi ad hæc testimonia responderis, uidebimus ea, quæ sunt in institutionibus istis aureis: certè negari non potest, utrumque docere nos iustificari ac saluari per illam seu in habitationem seu incorporationem, qua caro de carne, & os de ossibus Christi fiamus, nec oppugnat in institutionibus Calvinus hanc Osiandri sententiam, quod ad ipsius substantiam, sed tantum quandam eius proprietatem taxat.

Sic & Beza subinde in hoc ipso libello bene Osiandricè inculcat, oportere nos Christū intra nos recipere, ut postea ex eo in nobis **INHABITANTE** Omnia **HABIAMVS**.

Dicit Calvinum præ cæteris omnibus clarè ac solidè errores Osiandri in suis institutionibus refutasse. Grandis profectò hæc iactantia est. Vix enim ei scriptioni duas pagellas impendit, quibus ægrè enumerari, ne dum explicari ac insuper redargui omnes eius errores possint.

Et quoniam adeo contumeliosè tum me tum alios eruditiores, ut Vuestphalum, D. Heshutum,

Heshufium, D. Vuigandum, & alios exagitat, tanquam rudissimos afinos, quod in ipsius ueritatis damnum, & infinitorum hominum salutis detrimentum cedit, dum simpliciorum mentes in eam opinionem incidunt, tanquam illi soli sint lumina mundi, qui errare, sicut ipsemet sanctissimus, nequeant. Cogor igitur aliquid hic adscribere, quod mihi modo in mentem uenit.

Memini ante complures annos mihi clarissimum uirum. D. D. Hermannum Vecheldum, nunc syndicum Lubecensem, recitare literas Caluini ad se coram eximio ac prestante Theologo D. D. Ioachimo Morlino, quibus meam refutationem Osiandri miris laudibus extollebat, & alijs omnibus prefererebat. Cum tamen illa latina editio, quam ille legerat, fuerit plane impolita & imperfecta, ac nunquam meo iussu aut me sciente edita, nam Germanicam eum non opinor intellexisse.

Sic & tempore Interim ac Adiaphororum, miris laudibus ab illis hominibus celebrabar: Mox ubi intellexerunt, me eorum sententiam improbare, repente me tum pessimum tum indoctissimum hominem, qui nihil prorsus istarum rerum intelligam, proclamare coeperunt; sicut & hic Beza in omnibus ferme lineis facit.

Hæc non eo recenseo, quod eum ipsis aut alijs de laude eruditionis certem, quam omnibus aduersarijs semper facile concessi, sed ut pusilli Christi agnoscant, quam isti diuini heroes

heroes non sincero ac cādido iudicio, sed tām-
tum prauis affectibus interdum ducantur ac
impellantur, ut quiduis de quouis audacissi-
mè pronuncient: eoq; non illorum thraonica
ostentatione & nostri contemptu, sed euiden-
tibus uerbi Dei testimonijs rerum ueritatem
mériantur, nisi ultro seduci ac perire uolunt.

CONTRA 23. SOLUTIONEM.

In 23 demonstratione confuto istum mo-
dum apprehendēdæ iustificationis aliorumq;
Christi beneficiorum per inhabitationē Chri-
sti, quē errorem cōmunem esse Caluino cum
Osiandro in præcedēte prolatis eorū prolixis
consentientibusq; testimonijs demonstraui,
quam demōstrationem iste non refutauit ut
suprà admonui: Ad hasce igitur rationes hu-
ius confutationis conatur respondere in hac
solutione.

Primum uerò arguit me contradictionis,
quia et ipse eandem sententiam profitear, quā
in illis oppugnare coner, ut qui in sacra cœna
præponam illam Sacramentalem aut corpora-
lem manducationem spirituali fruitioni. Re-
spōdeo. Violentum sophisma est, ne dicā quid
grauius. Nam tripliciter toto cœlo differt mea
sententia ab illorum, nec iam quicquam dico
de eo, quòd ipsi spirituales, ego corporalem
manducationem, constituāt, quod ipse præoc-
cupat, licet & in eo ingens discrimen cōsistat.
Primum ego loquor de illa subita Sacramen-
taliq; perceptione aut manducatione, quæ ibi
ueluti ad unum momentum fit, ut sit signifi-
ficantissima

ficantissima certissimaty tessera, cōfirmans illud foedus, cum sit sanguis novi Testamenti: illi loquuntur de perpetua quadam inhabitatione & incorporatione. Secundo, ego non facio illam māducationem medium quoddam, necessario apprehendens iustificationem, quādoquidem etiam impij sacramentaliter corpori Domini communicant, nec tamen propterea spūalia beneficia accipiunt. Postremo ingens discrimen in eo est, quod illi uolunt suam illam incorporationem aut inhabitationem esse unicum perpetuum, ordinariumq; modum aut rationem apprehendendæ iustificationis aliorumq; beneficiorum Christi, sine quo nemo unq; iustificatus aut saluatus sit. Ego uero dico illam Sacramentalem manducationem, esse quiddam nouum, extraordinarium, non inde à condito mundo existēs, sed tantum in hoc Sacramento institutum, sine q; innumeri seruati sint ante hoc sacramentum, & adhuc iustificantur ac seruantur non accipientes id sacramentum, siue in pueritia, siue aliqui, modo non abstineant data opera.

Hinc liquido quisuis candidus lector cernit, quàm prorsus de alia re ego loquat, quàm illi, non solum aliter: ut non solum in qualitate, sed etiā in ipso subiecto, de quo agitur, differamus. En uides quàm peruersum hoc sophisma sit.

Succedit huic aliud leuius. Cū ego dixi, eos affirmare inhabitationē esse medium aut instrumentum, accusat uocem instrumenti, negans

gans sic Caluinum loqui aut esse instrumentum instrumenti. At uoce medij utitur. Præterea potest esse instrumentum instrumenti, ut in ista ipsa re uerbum est instrumentum ad fidem, & fides ad percipienda Christi beneficia.

Post hæc recitat meum argumentum ex Eph. quinto & Ezech. decimosexto petatum, cuius hæc sunt uerba: in eo ipso loco Ephes. 5. unde aduersarius uel maximè istam suam mysticam manducationem probat, Primum lauatur & mundatur Ecclesia, deinde deum sistitur Christo, ut gloriosa & munda sponsa, eiq; coniungitur, fitq; caro de carne, & os de ossibus eius, seu, ipso in ea habitante in illum incorporatur. Præcedit ergo remissio peccatorum & ablutio per sanguinem Christi illam ipsam incorporationem aut summam sponsi cum ea cohabitationem, de qua eo loci agitur. Non ergo per illam inhabitationem diuinitatis iustificamur, sed contra inhabitatione iustificationis effectus est.

Verum eadem ista coadunatio, & quasi quædam finalis connexio Ecclesie cum Christo etiam plenius Ezech. decimosexto, describitur, ubi Christus primum eam inuenit desertam, derelictam, ac immundam, & in suo sanguine uolutatam. Deinde eam educauit, mundauit, uestiuitq; & sibi tandem adiunxit.

Hæc mea testimonia iste non mox dissoluit, declinans eorum impetum ac sincerum lectoris iudicium, sed colligit aut fingit, nescio quæ absurda, ut lectorem à consideratione & pon-

ponderare horum argumentorum abducatur, & contra nos ueramque sententiam irritet: quo postea ab eo placidè qualemcunque solutionem aut potius elusionem pro uera (ut fieri solet) accipiat. Agnosco hoc esse non uulgaris Rhetoris, ne dicam Sophistæ stratagemam, sed tractanti sinceriter uerbum Dei nequaquam conueniens, nec certè spiritui sancto probatum.

Sed age sequamur eum, quo nos extra argumentum, ad sua sophismata digrediens abripit, ne uideamur magis non potuisse quàm noluisse ad ea respondere, neue lector imperitior suspicetur magnum quoddam robur ueritatis in eis contineri.

Primum dicit hinc sequi prius nos iustificari quàm Christum possideamus, adeo ut nobis iustificatio Christum, non autem Christus iustificationem tribuat. Respondeo: Nequaquam id sequetur. Confundit res diuersissimas ut impurus ille coquus Plautinus: Aliud enim est, quòd Deus unigenitum nobis tradidit inde ab æterno, etiam antequam eius carnem comederemus, imò & antequam ea conciperetur, quòd se pro nobis inimicis suis sponsorem Patri obtulit, in se reatum nostrum suscipiens, quodque ille nobis natus, & pro nobis mortuus est, cum adhuc inimici essemus, quodque sua passione redemptionem æternam inuenit, eumque thesaurum in suum coeleste tabernaculum, ut id inde distribuât, transtulit, quod sanè h. num agno-

agnoscendum est uera fide, non ut nunc pri-
mum nobis à Patre donetur, aut pro nobis pa-
tiatur, quæ dudum ætaté peracta sunt, sed ut,
inuitati per legatos eius ad reconciliationem,
ad thronū gratiæ festinemus, ibiq; per & pro-
pter illum mediatorem de ipsius thesauro re-
conciliationem cum Patre, seu condonationē
culpæ ac pœnæ consequamur.

Aliud inquam est hæc uetustissima dona-
tio filij, quam per fidem grata mente agnosce-
re debemus: Aliud autem quod in super nos si-
bi repurgat in templum sibi ac Patri & spiri-
tui Sancto, quodq; porro nos corruptos homi-
nes, per suum spiritū renouat, seu nouum ho-
minem in nobis condit, ut simus sancta mem-
bra sancti eius corporis: neq; enim ille non re-
natos seu ueterem Adamum agnoscit pro ue-
ris membris corporis sui. Et deniq; aliud est
inhabitatio spiritus sancti in cordib. nostris.

Non ergo nego prius esse, q; Deus adeo di-
lexerit mundū, ut largitus sit hominibus filiū
suum, eumq; mediatorem constituerit, ut por-
ro homines audientes hoc per Euangelium
agnoscerent, inuitatiq; ad reconciliationem fi-
de accederent thronum gratiæ, ac per & pro-
pter illum mediatorem reconciliarentur.

Calumniose ergo ista absurda contra me
congeruntur. Atq; tum hæc uanissima accusa-
tio, tum illa quòd & ipse dicam nos per incor-
porationem iustificari subinde falsissimè ite-
rantur & ingeruntur, unde etiam me esse Osi-
andristam proclamat.

Postquam

Postquam me istis absurdis satis acerbè ex-
agitauit, tandem fatetur me discernere man-
dicationem sacramentalem aut externam ab
interna spiritaliꝫ inhabitatiōe. Si hoc à prin-
cipio huius solutionis fecisset, nihil opus fuif-
set tot tamqꝫ foedis accusationibus, cū nullū
earum fundamentum causamqꝫ haberet.

Postremò blasphemè quærit, quo perueni-
at illud corpus à nobis ore sumptum, an excer-
natur &c. Reprimat eum filius Dei potenter.
Nos tantum de hac re credimus ac docemus,
quantum filius Dei docuit, nempe eum de il-
lo in externam sacramentalemqꝫ manducati-
onem dato dixisse, Hoc est corpus, hic est san-
guis meus. Filius Dei, qui uenit, ut destruat o-
pera Diaboli, istas eius impias sannas & farca-
smos suorum mysteriorum potenter coargu-
at & retundat, Amen.

Uterius pergendo, incipit me urgere qui-
busdam quæstionibus, quibus id tandem ef-
ficat, nos, antequam ad sacram cœnam perue-
niamus, iam credere & Christo incorporatos
esse, eiusqꝫ membra existere, eoqꝫ non præire
sacramentalem aut externam manducationē
spiritali.

Respondeo. Hi tragici clamores nihil pror-
sus contra præsentem demonstrationem faci-
unt, in qua non differo, quomodo res, actio-
nes aut partes huius sacramenti sese inuicem
consequantur: sed quòd in genere aut tota
Christiana pietate in doctrina iustificationis
inhabitatio diuinitatis aut Christi non sit iu-
G stifi-

stificationi præponenda. Aliud est simplicitet
aut in genere de motibus uerę pietatis differe
re: Aliud de partibus & actionibus huius Sa
cramenti. Cur ergo tam Sophisticè ac im
portunè res diuersissimas miscet ac confun
dit?

Urget etiam ac clamat, spiritualement man
ducationem multo ante sacrę Cœnæ sumpti
onem peractam, nempe statim initio in Bapti
smo, nec se propter eam percipiendam sa
cram cœnam ullo modo accedere, quod est di
ligenter notandum. Verba eius de hac re inter
alia hæc quoq; sunt.

Nec enim ad cœnam accedimus, ut tum
primum Christo incorporari (idem Bezae est
Christo incorporari, quod spiritualiter fide
eum comedere, ut ex innumeris eius locis pro
bari potest) percipiamus ipsius bona, quum &
iam antea in Baptismo ipsum **INDVERI
MVS**, ut in ipso ablueremur ab omnibus pec
catorum sordibus, & peccato mortui, in nouã
uitam resurgeremus, & postea uerbo uitæ per
fidem apprehenso, rursus propius cum eo co
aluerimus, sed ut Christi magis ac magis par
ticipes facti, in ipso adolescamus: siue ut, quod
IAM obtinuimus, in nobis magis ac magis
OBSIGNETVR.

Quæro ex te Beza, quomodo ista tua uer
ba conueniant cum illis in Decima solutio
ne positis. Quibus expresse affirmas, sacrã
Cœnam tantum ideo institutam esse, ut talem
manducationem, aut incorporationem Chri
sti

si percipiamus, quæ ita sonant: Christum manducasse nihil aliud declarat, quam fide Christum in Sacramento oblatum apprehendisse: siue Christo **I N C O R P O R A T V M** esse, ad uitam æternam ex eo hauriendam, cuius rei gratia tota hæc mystica actio est à Christo instituta: istam Christi **M A N D U C A T I O N E M** meritò illud esse dicimus, **Q V O** externa **ILL A O M N I A R E S P I C I V N T**.

En hîc clarè dicit Beza totam sacram Cœnam ad hoc institutam esse, ut Christum ibi apprehendamus, māducemus, eiq; incorporemur. At in priorî dicto grauitèr affirmarat se omnino eius rei percipiendę gratia ad sacram cœnam non accedere. Sic solent falsa dicentes sibimet sæpissimè cōtradicerè, iuxta illud, **Mēdacem oportet esse memorem.**

Verùm illa prior Beze sententia totum istū sacramentarium errorem redarguit & euerit. Si enim iam antea Christum spiritualiter fide comederunt, seu omnino illi incorporati sunt, nec uolunt ad sacram Cœnam huius rei gratia accedere, sed tantum, ut ista iam facta manducatio in eis obsignetur: qua ergo fronte ac conscientia adeo importunè declamitant & uociferantur in illis huic sacramento aut sacrosancto Testamento proprijs uerbis, **Accipite & Comedite ac Bibite, Hoc est corpus meum, spiritualem illam manducationem institutam mandatamq; esse, eoq; illam sacramentalem, seu externam, quæ**

G 2 huic

huic sacramento soli propria est, euertunt.

Quis quæso unquam audiuit clarius re-
dargui sacramentarium errorem, qui intru-
dit spirituales incorporationē in uerba, Hoc
est corpus meum, quàm hic ipse eius patro-
nus modo facit. Ille iam antea habet (ut au-
dis) illā manducationem, nec planè eius cau-
sa sacram cœnam accedit. Quæ igitur tandem
manducatio Domini ibi remanet? nostram il-
lam sacramentalem non fertis, uestram istam
spirituales iam antea habetis, nec omnino
eius causa illuc acceditis: Reliquum ergo est,
ut nullam planè manducationem corporis
Domini ibi relinquatis, sed tantum symbolo-
rum perceptionem.

Hisce sophismatibus & absurditatibus ar-
tificiosè, sed præter omne ius, non tam contra
me, quàm contra ipsam ueram Christi senten-
tiam, quam profiteor, & illustria oracula Dei,
quæ proposueram, congestis, cum se iam satis
animum auditoris abalienasse à me & hisce
uerbi Dei oraculis putauit, tandem redit ad
ea, ac illa utcunq; eludit.

Primum locum ad Ephe. 5. ex quo ipso ur-
gent isti cum Osiandro suam illam incorpo-
rationem, eludit, tanquam si per illas plenas
Christi cum Ecclesia nuptias, ut sibi eam si-
stat mundam, &c. non intelligat istam coniu-
ctionem aut incorporationem, sed inconstan-
ter, modo hoc, modo illud diuinat: Iam intel-
ligit de noua obedientia, affirmans eundem
esse dicti huius sensum, qui cantici Zachariæ,
ut

ut

ut ambulemus in sanctitate & iusticia coram ipso: iam contra de æterna glorificatione conferendo cum illo Pauli uoto, Cupio dissolui & esse cum Christo. Item, Aduenæ sumus & peregrinamur à Domino.

In quibus non considerat, quòd non tantum diuersissimas res, sed etiam planè contrarias uult per idem dictum intelligi: diuersissimæ enim res sunt huius uitæ noua obedientia, & futuræ gloria: contrariæ autè sunt quia præsentem uitam piorum modo facit esse præsentiam coram Domino, modo absentiam ab illo, quo nihil magis contrarium esse potest, & tamen utrunq; horum contrariorum per illud unum dictum uult intelligi, ut istud eius commentum aut elusio euidentissimi oraculi Dei seipsam palpabiliter redarguat ac euertat.

Consideremus igitur contra istas eius nebulas sophismatum, ipsam lucem uerborum spiritus sancti, pulcherrimo ordine depingentis totam rationem nostræ in hac uita reconciliationis ac coniunctionis cum Deo, quæ, discussis istius sophismatum nebulis, optimè se ipsam defendet. Primo loco ponitur passio Christi pro nobis suis inimicis facta uersu 25. in uerbis, Tradidit semetipsum pro Ecclesia. Secundo loco ponit uersu 26. Iustificationem dependentem aut profluentem ex passione in quiès, Ut eam sanctificaret, mudans eam lauacro aque per uerbum. In Baptismo enim lauamur sanguine Christi ab oibus peccatis, ut Ioannes

testatur. Porro ulterius progreditur ad inhabi-
tationē, quę exprimit per cōiugalis cōiunctio-
nis uerba, ut eam SIBI SISTERET, uersu 27:

Quid sit sponsam iam ornatam & paratā
sponso sistere ad nuptias notum est. Ad eas i-
gitur terrenas nuptias alludit Paulus hisce
uerbis, aut ea potius à terrenis nuptijs sumit,
& huc per Metaphoram transfert: simul au-
tem renouationē intelligit per illa, Gloriosam
non habentem maculam aut rugam. Non di-
cit, ut eam Patri sisteret, qđ de uita æterna intel-
ligi posset, quo ipse ista uerba uiolenter rapit:
Sed sibi sponso aut marito ad coniunctionē.

Postremò postquam ex hoc exemplo Chri-
sti intulit uersu 28 & 29, quomodo etiam uiri
suas uxores fouere debeant, redit mox uersu
29 ad illustrandam illam postremam coniu-
ctionem, seu illud SISTERET SIBI, seu il-
las nuptias incorporationemq; Christi & Ec-
clesiæ, qđ dicit adeo arctē inter se copulari, ut
Ecclesia fiat aut sit caro de carne & os de ossi-
bus sponsi aut mariti sui Christi. Atque hæc
ultima etiam Calvinus de Incorporatione aut
spirituali manducatione seu inhabitatione
Christi, quæ omnia ipsi pro eodem habent, ex-
ponit: quam tamen iste uult primo loco ante
omnem mundationem poni, inuerso nimi-
rum toto textu Paulino & ipsarum rerum ne-
cessario ordine.

Hunc luculentissimum textum, manife-
stissimamq; feriem rerum, ac motuū in homi-
nis conuersione ac salute, quæ hic à Paulo per-
spicue

spicue pingitur, oppono omnibus istius artificiosos sophismatibus & tragicis clamoribus. Hic enim palpabiliter uera series spiritualium motuum, rerum & beneficiorum Christi proponitur: ut qui modò sponte cecutire & errare non uult, eam ignorare non possit.

Postquam illa inconstanti & sibi met contradicente glossa inuoluit testimonium Pauli, prouocat tandem ad Ezekielem, eumq; facit istius controuersie & ueri sensus scripturæ iudicem. Sit sanè iudex, & Paulo assideat, quoniam & ego eum prius citaueram. Audiamus igitur attentis auribus & animis, quid hic Dei Propheta de ista controuersia pronunciet.

Prima ergo pars eius sententiæ ita sonat: **ET TRANSIUI IUXTA TE, & uidi te scedatâ in sanguinibus tuis: Et dixi tibi in sanguinibus tuis VIVE, & dixi in sanguinibus tuis VIVE.**

Consideremus hanc primam partem sententiæ de ista cōtrouersia late. Hic primum describitur omnium hominum extrema iniustitia, tum originalis tum actualis: secūdo in hac ipsa iniustitia aut peccatis promittitur eis uita, ubi simul notabile est, quod dicit **TRANSIUI** iuxta te, nō dicit **intraui** in te. Quid aut est ista uita in medio sanguinū ac immundiciarū aliud quàm remissio peccatorum? Bis uerò id repetitur, quia mirabile est, quod in medio peccatorum, quibus reuera immergi iacemus, nihilominus per Dei imputationē ac uerbum seu absolutionem iusti, & Deum propitiū habentes

pronūciamur, seu uita salusq; nobis donatur.

Postquam uero dixit de hac prima mundatione aut iustificatiōe, pergīt dicere de quotidiana contectiōe, id est, remissione peccatorum: Secunda pars sententiæ istius iudiciariæ à Propheta late est, quòd postquam quædam de incremento ratione populi & similitudinis dixit, subiungit hæc uerba: Et transiui iuxta te & uidi te, & ecce tempus tuum, tempus amorum, & extendi oram uestis meæ super te, & operui turpitudinem tuam: & iuravi tibi, & ueni in fœdus tecum, dicit Dominus Deus, & facta es mea.

Hic iterum audimus duo quædam diuersa: primum Deum uidisse nos nudos, & ueste sua texisse turpitudinem nostram. Vbi obseruanda sunt duo malitiosa sophismata istius: alterum quòd per illud tegere uult intelligi conjugalem copulam, cum pater eius Calvinus illi in suo commentario super Ezech. contradicat duabus uocibus, dicens, Est **DIVINATIO INFIRMA**, cumq; uideat mox sequentia isti interpretationi repugnare: & deniq; cum etiam ipsorum Gallica Biblia istam contectiōem de mundatione à peccato exponant. Alterum sophisma (alij falsationem dicerent) est quòd citans textum hunc, distrahit & studio excludit illud, Et texi turpitudinem eius, quæ Calvinus ita paulò clarius extulit hisce uerbis: Dicit Deus se expandisse alam uestis, VT tegetet probrū & fœditatē eius, &c.

En audis Ezekielem per os tui præceptoris

ris loquentem, quisnam sit usus aut sensus i-
stius expansionis uestis super nos nudos, non
uidelicet nuptialē coniunctionem, ut tua IN-
FIRMA DIVINATIO uult, sed cōtectio pro-
bri ac turpitudinis nostræ.

Quid sit regi ueste Christi sponsi turpem
nuditatem nostram, satis declarat David &
Paulus, qui docent esse confectionem ac non
imputationem peccatorum, aut iniusticiæ no-
stræ ob imputatam iusticiam filij Dei, sicut ini-
tio excoriatæ ouis uellere tecta est turpis nu-
ditas primorum parentum,

Secundum est, quod hic Ezechiel pronun-
ciat, coniugium factum inter istam iuencu-
lam, cuius sceditatem sua ueste texerat. Quod
coniugium sit sanè ista spiritualis māducatio,
inhabitatio ac incorporatio. Illi uerò mox loti-
onem renouationis & ornamenta uariorum
donorum spiritus sancti adiungit. Ita uide-
mus & audimus, expenso diligenter textu sen-
tentiæ ab istis duobus iudicibus de nostra cō-
trouersia latæ, non tantum Paulum, sed & Eze-
kielem secundum me, contra Bezam disertis-
simè & grauissimè pronunciare.

Recipiat ergo in se illud tetrum maledi-
ctum, quo ista sua sophismata concludit, cuius
hæc sunt uerba. Quæ cū ita se habeant, & ta-
men te non pudeat ordinem mutare, quasi De-
us eam primum mundauerit, uestierit, & po-
stea tandem sibi adiūxerit, deprehenderis fal-
sarius Illyrice, & manet inuicta Dei ueritas.
Vter tandem nostrum ex præcedentibus falsa-

rins esse conuincitur Illyricus ne an Beza
potius?

Postquam aduersarius adeo sincerè (ut au-
diuimus) refutauit duo prædicta Scripturæ te-
stimonia, pergît ad tertium ex 14 Ioannis sum-
ptum. Vbi tamen manifestissimè primo loco
ponitur fides, postea dilectio aut fauor Dei er-
ga nos, Postremo habitatio diuinitatis nobi-
scum. Hoc testimonium uariè conatur inuer-
tere, & à uero sensu natiuoq; abducere.

Primum uerò cauillatur, quod effectum
accipiam pro eo, qd est consequens. Nō est mei
propositi singula prorsus mea uerba tueri, aut
negare me usquam quicquam improprie lo-
cutum esse: Sed tamen hic affirmo rectè posse
dici Iustificationem esse causam omnium se-
quentium beneficiorum. Nam iustificatio est
plena reconciliatio cum Deo, quæ nos facit ex
hostibus filios Dei. Ob hoc autem ipsum, quia
Deus iam nos pro filijs habet, largitur nobis
omnia sequentia beneficia. An non est ado-
ptio causa omnium sequentium beneficiorum
& hæreditatis?

Sed quid longo certamine opus est? an nō
spiritus sancti donatio & inhabitatio, seu po-
tius ipse spiritus donatus & inhabitans in no-
bis uocatur à Paulo spiritus adoptionis aut fi-
liationis, quia tantum datur filijs Dei factis, &
ideo etiam datur hominibus, quia filij Dei
sunt facti? An non est ergo donatio & inhabi-
tatio spiritus sancti effectus adoptionis, & re-
conciliationis?

His

Hic uerò simul etiam habetur totius huius nodi solutio: Si enim spiritus inhabitatio donatur iam factis filijs ac cum Deo reconciliatis: & porrò inhabitatio spiritus sancti eadem est, quæ Patris ac filij, sequitur necessarijsimè inhabitationem sequi post iustificationem seu reconciliationem.

Sed iam uideamus cauillationes, quibus istud Christi oraculum, à me citatum, à uero sensu abstrahere conatur. Primum uerò ipsum dictum adscribam, ut omnia melius intelligi queant. Si quis diligit me, sermonem meum custodiet, & Pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & Mansionem apud eum faciemus.

De prima uoce, si quis diligit me, postremo loco obijcit, quòd si ordo exactè hic obseruaretur, sequeretur aliquem prius diligere Deum quàm diligatur ab eo. Respondeo, Loquutio, si quis me diligit, significat omnino uerum cultum & ponitur in genere ac sine tempore, ut sæpe solent uerba Hebræ. quod & ipse annotat: Sensus ergo est, si quis uolet esse meus uerus & sincerus cultor. Quod apparet etiam ex illo non ita longè præcedente uersiculo, si quis habet præcepta mea, & seruat ea, ille est diligens me, id est, ille est uerus & germanus meus cultor, Sensus ergo, si quis me diligit, id est, quicumque uult esse uerè studiosus mei, meusq; sectator, aut discipulus. Sed mox plura testimonia ad-

ijciam

Secundò

Secundò reprehendit, quòd per custodi-
re sermones intelligam ueram fidem: ille e-
nim uult potius obseruationem mandatorũ,
id est, realem præstationem aut obedientiam
intelligere. Verba eius hæc sunt. Sed præterea
quis eum hic ferat? obseruationem mandato-
rum interpretatur ueram fidem: at cur nõ po-
tius sanctam & honestam uitã? Certum enim
est, Dominum ibi agere de fidei & ueri in De-
um amoris fructibus.

Respondeo, quis te ferat Beza tam auda-
cter inuertetem uerba Christi? Ille dicit: serua-
bit sermones, tu uerò obseruatio mandatorũ.
Vide audaciam subitæ falsationis ac corrupti-
onis uerborum Christi. Nequaquam autem est
certum, quòd ibi agatur de fructibus charita-
tis: sed manifestum est, quòd præscribat uerã
uiam aut rationem agnoscendi Deum & ap-
præhendendi eius fauoris omniumq; bono-
rum. Ideo etiam sic intelligo hanc loquutio-
nem, quia passim in scriptura custodire ser-
mones Dei ueram doctrinam ac notitiam, id
est, fidẽ in corde retinere significat. Sicut Chri-
stus dicit Ioã. 17. Apostolos seruasse sermones
suos, qui tamen malè præcepta Dei obseruaue-
rant. Sic etiam Bucerus piæ memoriæ utram-
que harum locutionum exposuit, ut ego.

Si quis diligit me (inquit) sermonem meũ
seruabit, Huc intendere, ò discipuli mei, ani-
mos debueratis, in his salus uestra sita est. Vul-
tis siquidem **VIDERI MEI** discipuli (en ha-
bes illa: si quis me diligit) mei q; longè aman-
tissimi,

aisimi, uestrum ergo erit, omnibus omisis,
hoc dare operam, ut sermones mei à uobis ser-
uentur, id est, **FIDE SYNCERA PERCIPI-**
ANTVR. En habes quid sit hęc seruare sermo-
nes, & diligere Deum.

Memento autem simul lector, q̄ Beza per
seruare sermones intelligit obedientiam præ-
ceptorum.

Porro uerò non admitit, ut loquutio, Et
Pater diliget eum, significet gratuitum fauo-
rem Dei aut iustificationem, nec tamen expo-
nit, quid ipse uelit eam significare. Verba eius
hęc sunt.

Postea per dilectionem Patris iustificatio-
nem intelligit, nec uidet homo ineptissimus,
si hoc uerum esset, fore, ut prius aliquis seruet
Dei mandata, quàm fuerit à Deo dilectus ac iu-
stificatus. En quò nos abducant Illyricanæ de-
monstrationes:

Vter nostrum sit uerè ineptus aut etiam
malitiosus, hinc iudicet lector. Ego clarè osten-
di per custodire sermones, non significari ob-
seruationem aut præstationem mandatorū,
ut ipse uult, sed fidem: credere autem nos pri-
usquam iustificemur, seu fidem anteire iustifi-
cationem, est etiam ipsius doctrina. Nihil er-
go prorsus est in mea hac sententia noui, ine-
pti, peregrinitie.

At ipse in medio huius ipsius absurdita-
tis, quã mihi obijcit, ueluti in profundo quo-
dam cœno hæret. Nam ipsemet, non ego, uult
per custodiã sermonis Dei, seruationem man-
datorum

datorum intelligere: uult præterea dilectionem Dei erga nos, non de gratuita iustificatione, sed (ut opinor) de ipsa dilectione accipere. Ergo clarè facit hominem prius seruare mandata, quàm diligatur à Deo: Nam Christus hîc clarè ex ista custodia sermonis, deducit dilectionem Dei erga nos, seu dicit fore, ut Deus nos propterea diligit. En quo ipsum suæ Bezzianæ cauillationes abducant, ut quæ absurda alijs falso imputat, in eorum medio iacere ipse depræhendatur.

Postremò repræhendit, quòd per illa uerba: Et ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus, intelligam in habitationem Patris, Filij & Spiritus sancti in nobis. Quid ergo aliud possunt illa uerba significare? num ille uult Patrem Filium ac Spiritum sanctum uenire quidem ad nos, sed non in nos aut in nobis habitare? Quid quæso potest omnino excogitari absurdius, quam negare illam dulcissimam promissionem Christi, Ad eum ueniemus, & apud eum mansionem faciemus, si significare in habitationem Dei in nobis? An fortè iste uult, quòd Deus alicubi in angulo nostrarum ædium habitabit. At uerò ego uehementer miror, qua fronte ipse mihi absurditates ausit obijcere, cum ipse in suis absurditatibus hæreat, non ego, qui per custodire sermonem, intelligo fidem. Num enim negabit, fidem esse ante iustificationem? Num iustificationem ante renouationem esse negabit? Atqui tum demum uerè bona arbor sumus,
cum

cū ad bona operā condimur, aut renouamur.

Hiscē suis absurditatibus mihi falsō obiectis, confugit ad sequētem concionem Christi, ut tanto melius diuersas materias & sententias confundere queat.

Postremo, illo profugio uult genuinum sensum huius pulcherrimi dicti Christi euertere, quōd loquatur de progressu gratiæ, non de initio, Quod tamen non probat, nec probabit unquam. Contrarium uerō ex eo elucet, quōd simpliciter ac in genere loquitur Dominus de quibuscunq̄ mortalibus, non de solis suis Apostolis, dicens, Si QVIS, &c. Quasi diceret, quicumque uult esse mihi coniunctus, hunc ordinem sequatur, & sic ad me accedat.

Huc facit etiam quæstio Iudæ, cui hīc Dominus hac sententia respondet. Is enim errans in sententia Christi, quærit cur se tantum ipsis Apostolis, non etiam mundo patefacere uelit? Respondet igitur Dominus, imō omnibus sum paratus me patefacere, omnesq̄ seruare: Cæterum si quis uult uerè per me seruari, meq̄ uerè sequi aut colere, is seruet hunc ordinem, ut primum audiat meam doctrinam, eamq̄ custodiat ac CREDAT: unde sequetur, ut reconcilietur cum patre, ac ab eo diligatur & foueatur, nosq̄ in eo habitemus.

Verūm ut maximè probet agi hic de incrementis non initijs gratiæ, nihil tamen efficiet, Cōstat namq̄ oibus pijs, eosdē esse motus spirituales,

rituales, eodemq; se ordine subsequi in quotidianis exercitijs aut instauratione fidei, qui fuerunt initio in prima conuersione. Eodem enim modo subindè nos oportet per legem conteri & perterrefieri ex agnitione nostræ immūdiciei: eodem modo mox fidem per Euangeliū suscitare: eodem modo ad thronum gratiæ accedere, & per ac propter illum nostrū sacerdotē Christū, gratuitā iustificationē, seu quotidianam remissionem peccatorum, reconciliationem & adoptionem flagitare, sicut initio. Eadem quoq; ratione nobis spiritus filiationis, seu adoptionis, seu eius Patrisq; & filij inhabitatio augetur & confirmatur. Quare istud sophisticum Cresphygeton de discrimine primæ gratiæ & eius progressu, ipsum contra ueritatis lucem protegere non potest.

Pergit oppugnare aliud testimonium ex Paulo citatum, cuius partem Apostolus ex Ezechielis ca. 37. ut ipsemet Beza testatur, desumpsit. Hic primum hæc sunt uerba aduersarij. Hic quoq; miror Illyricæ, qua fronte hæc scribere audeas. Inspice locos obsecro. Ero (inquit Dominus) illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Quomodo uerò illorum Deus? Habitabo, inquit, in eis & ambulabo. Audis Illyricæ, nos tum fieri populum Dei, cum ille in nobis habitare cœpit?

Beza hic in iniustissima accusatione, iustissimam rem petit, uult enim nos inspicere locos. Adscribam igitur integrum locum Ezechielis, unde hæc Paulum desumpsisse, ipsemet confitetur.

confitetur. Verba eius hæc sunt:

David seruus meus erit **PRINCEPS** eorum in æternum. Et ego percutiã cum eis fœdus **PACIS**, fœdus perpetuum erit cum eis: & ponam eos, & multiplicabo eos. Atq; ponam sanctuarium meum in medio eorum in æternum, & erit **HABITATIO** mea in eis.

Hic audimus Prophetam primum indicare, per quem uelit seruare populũ, nempe per Meschiam filium Dauidis. Secundò dicit se uelle cum eis percutere fœdus pacis. Vbi necessario includitur iustificatio aut remissio peccatorum: nam pax primum post iustificationem sequitur, secundum illud Pauli, Iustificati fide pacem habemus.

Postremo loco promittit Deus inhabitati onem in populo posito in suo tabernaculo.

Hinc iudicent omnes candidi lectores, an Ezekiel meam aut Bezæ sententiam probet. Hunc uerò locum breuissimè Paulus attingit citans, teste Beza ipso.

Hoc eodem modo, sensu ac rerum serie, etiam Paulus prædictum Prophetæ locum ad suum institutum applicat hisce uerbis. Quare exite de medio eorum, & separemini, dicit Dominus, & impurum ne attigeritis: Tum ego excipiam uos. Et ero uobis in Patrem, & uos eritis mihi in filios & filias: dicit Dominus omnipotens. Hic audimus primum uelle Deum, ut populus seu homines seruandi, se separent ab impijs & omni impuritate: quod fit per uocationem uerbi, cõtritionemq; qua

H aliquo

aliquo modo desinunt furari, latrocinari, & sua scelera aliquo modo detestantur, & denique per fidem diuinitus in cordibus eorum excitatam ac donatam, ad Deum seu thronum gratiæ confugiunt, ut perditii filij.

Secundò audimus Deum promittere, quòd uelit eos excipere, id est, in gratiam reconciliationisq; admittere, seu iustificare, sicut benignus ille Pater suum perditum nebulonem.

Postremò promittit, quòd uelit ita cum eis uersari aut habitare, ut pater cum liberis in uno domicilio, eosq; ut liberos curare ac fo- uere, eosq; spiritu adoptionis donare, qui in eorum corde clamet Abba Pater, eisq; testimo- nium præbeat, quòd filij Dei sint.

Ita clarissimè uidemus tum Paulum tum Ezekielem, quorum loca nos iste inspice- re iussit, secundum nos contra eum pronun- ciare.

Hic possem optimo iure eum asperius fla- gellare, ut ipse me insonem, ac dicere, Hic quo- que miror Beza, qua fronte & conscientia hæc scribere audeas, idque insuper grauissi- mi criminis loco alteri obijcere, quod uerifi- simè tibi conuenit? Sed nolo insectationibus ullis uti.

Attigeram etiam locum 2. Timot. 2. Si quis igitur expurgarit seipsum ab his, erit uas ad decus sanctificatum, & accommodum usibus Domini.

Quærit ille unde sit illa expurgatio aut san- ctificatio? Respondet ei Ioannes, Sanguis Iesu Christi

Christi mundat nos ab omnibus peccatis. Cū autem Paulus illic istis mundatis uasis, pollicetur usus Domini honoratos, quæro ego uicissim, quis prior ac honoratior usus est nostrorum uasorum aut corporū Domino, aut quod maius nostrum decus, quàm spiritum Domini habitare in cordibus nostris? Vnde porrò sequuntur alij minores usus.

Hinc transit ulterius ad alia uerba meæ demonstrationis exagitanda. Primum autem recitat integram meam ratiocinationem malè confarcinatam, exclusis nempe de medio quibusdam. Mox uerò arguit me foedè inscitiae & contradictionis, ut qui dixerim, conditio ac creatio ad bona opera fit PER inhabitationem Christi, eiusq; Patris, & spiritus sancti in nobis: ac mox subiecerim inhabitatione Christi in nobis & renouatione nostri rem unam & eandem significari, Non scripsi autem rem eandem significari: Hoc uerbum tuum, non meum Beza est.

Cur ipse singulas uoces famelica Sophistica arrodit, & non ad ipsam summam argumenti respondet? Iustius uerò ipse uel inscitiae uel etiam malitiae argui posset, qui non considerat istas res motusue, nempe inhabitationem spiritus, & regenerationem, tum prorsus mysticas ac nobis obscuras esse, tū etiā sibi inuicem coniunctissimas & uicinissimas.

Non uult etiam considerare, uoculam PER, non omnino semper causam efficientem indicare: Sed non rarò causam formalem,

H 2 quæ

quæ tum esse rei dat, tum ipsa res est, ut cum Paulus dicit, Ad ostensionem iustitiæ, PER remissionem peccatorum, non id uult, Remissionem peccatorum esse causam efficientem iustificationis, ut putauit Osiander & Papistæ, sed esse ipsam rē aut formā exhibēdæ iustitię.

Tum porrò consideret, condi ad bona opera, posse quiddam posterius significari, quam illud primum renouari, subinde enim ad alia atq; alia opera, officia, aut conatus condimur aut idonei fimus: ut Apostoli sunt aliquatenus à spū sancto inhabitati & renouati mox à principio suæ conuersionis: At illa creatio aut conditio ad tantam functionem, contigit eis postea demum, cum sunt induti uirtute ex alto. Sic uidemus istum, dum alium in scitiæ arguit, in feeda in scitiæ crimina incidere.

Quanta sophistica esset, si cum dixissem, Illuminatio mundi fit PER solis præsentiam: & aliquanto post subiecissem, solis præsentia in hoc mundo est terrarum illuminatio, me contradictionis ac in scitiæ arguere uellet? Et tamen illa præsentia spiritualis solis intra nos, multo est nostro intellectui difficilior & renouationi nostri uicinior.

Secundum & multo etiam crassius sophisma, ne dicam impudens calumnia aut quidpiam grauius, est, quod scribit hisce uerbis: Deinde, an non saltem in scholis discere debuisti, nec quicquid antecedit, esse causam efficientem, nec quicquid aliud sequitur, esse antecedentis effectum.

No.

Norunt sanè hoc uel rustici, qui scholas nunquam frequentarunt, ut nec diem esse causam noctis, nec noctem esse causam diei, nec hyemem ueris, aut uer æstatis, aut æstatem autumnum, etiam si se inuicem sequantur, & præcedat. Sed ego ex te quæro, an nõ tu hoc ipso loco hæc mea uerba modo adscripsisti, Renouatio seu instauratio hominis per inhabitationem est reuera effectus, AVT certè consequens iustificationis, non antecedens? Cur igitur tu in scholis aut etiam triuijs, non didicisti coniunctionem AVT, non similia copulare, sed dissimilia disiungere? An is qui dicit quod cerno aut bos est aut equus, habet equum & bouem pro eadem re, ut quicquid sit bos, sit etiã equus, & cõtra? Obsecro, ut sit post hac modus in cauillando & calumniando.

Quod ibi mox adijcit, quo tandem iure regenerationem habebis pro iustificationis effectu, paulò ante solidè refutatum est, quibus illud adiungo. Prophetæ & tota scriptura testantur, peccata aut iniusticiam nos disiungere à Deo: Ergo contra iustificatio nos coniungit cum Deo, ut ipse in nobis habitet & nos in eo: obserua lector hoc argumentum, quod uel solum istum ipsorum modum apprehendendæ iustificationis redarguere, & inhabitationem iustificationi postponendam esse, demonstrare possit.

Tertiò, negat contendendum esse regenerationem sequi aut antecedere iustificationem. Cur igitur tuus Calvinus contendit in refutatione

tionem conciliabuli, regenerationem sequi, &
contra super Ioan. 3. afferit, eam antecedere &
esse primam ianuam Christianismi. Verba e-
ius hæc sunt:

Neque tamen interea negandum est, quin
perpetuò coniunctæ sint ac cohæreant duæ i-
stæ res: sanctificatio & iustificatio: Sed perpe-
ram inde infertur, unam ac eandem esse. Ex-
empli gratia, solis lumen, et si nunquam sepa-
ratur à calore, non tamen calor existiman-
dus est. Nemoq; tam rudis inuenitur, qui non
unum ab altero distinguat. **FATEMUR
ERGO, SIMVL ATQVE IUSTIFICA-
TUR QVISPIAM, NECESSARIO IN
NOVATIONEM quoq; SEQVI.** Neque
uerò de eo ambigitur, an sanctificet Christus
necne, quoscunq; iustificat. Hoc enim esset la-
cerare Euangelium, adeoq; Christum ipsum di-
scerpere. Idem super Euangelium Ioan. 3. con-
trarium hisce uerbis affirmat. **HIC ENIM
PRIMVS IN REGNUM DEI** ingressus
est, ut sis nouus homo. Quoniã autem insignis
est hæc sententia, singulas partes propius excu-
tere conuenit. Videre regnum Dei, idem ualet
ac ingredi in regnum Dei: Sicuti mox patebit
ex contextu. Sed falluntur qui regnum Dei, pro
cælo accipiunt: cum potius spiritualẽ uitam si-
gnificet, quæ fide in hoc mûdo inchoatur, ma-
gisq; indies adolescit, secundum assiduos fidei
progressus. Ita sensus est, neminem uerè aggre-
gari in Ecclesiam posse, ut censeatur inter Dei
filios, qn prius **renouatus sit.** Itaq; breuiter hic
ostenditur,

ostenditur, quale sit hic Christianismi initiū:
Atq; hac locutione simul docemur, exules nos
ac prorsus alienos à regno Dei nasci, ac perpe-
tuum nobis cum ipso dissidium esse, donec a-
lios secunda genitura nos faciat, &c.

Postremò dicit me valde imperitè dictum
Augustini detorsisse, Bona opera sequuntur
iustificatum, non præcedunt iustificandum.
At ego non citavi aut etiam saltem nominavi
hic Augustinum uel unica litera, sed citavi e-
am sententiam, ut in uero sensu nunc in no-
stris Ecclesijs contra Papistas usurpatur, non
quatenus sophistæ ea abusi sunt, ut tu hîc scri-
bis, tametsi illi non hac sententia abusi sînt,
quam semper oderunt, sed ipsam rem iustifi-
cationis malè ex Augustino definiuerunt de
infusione iusticiæ.

Recitat iterum aliud meum argumen-
tum, cuius hæc uis est. Tota scriptura clamat fi-
dem esse instrumentum aut medium appræ-
hendendæ iustificationis, nõ in habitationem.
nusquam enim legimus iustificari hominem
per in habitationem, sicut Osiander & Calui-
nus cum suo Beza uolunt. Igitur sic sentien-
dum est, ut scriptura loquitur. Et porrò quo-
niam Scriptura excludit in habitationem, ex
modo aut medio iustificationis, Igitur eam
sequi iustificationem: nemo enim certe di-
cet eam antecedere fidem, & aliquo tamen lo-
co esse cogitur in hominis conuersione aut
pietate: Præterea Deus non habitat in impijs,
sed in ijs, quos sibi in templa sancta filij
H 4 sui

sui sanguine mundavit ac consecrauit.

Hoc argumentum iste bonus uir prorsus non soluit, sed ad peregrinas materias digreditur, dicens. Nos nec per fidem quidem iustificari, si qualitatem consideres. Quid hoc ad rem? Item inhabitationem cum suis effectibus non esse confundendam, & alia, quæ prorsus nihil ad solutionem huius argumenti faciunt.

Postremò dicit, Quæro, in qua tãdem schola Dialectices sic argumentari didiceris? nec tamen indicat uitium argumenti. Quæro igitur ego uicissim ab eo, in qua schola ipse sic soluere argumenta didicerit, nihil nempe ad rem dicendo, & postremo post multas peregrinas nugas adfirmando non ualere argumentum, nec tamen uitium indicando, multo minus re darguendo?

In qua etiam schola Dialectices, ita didicisti soluere argumentum, per sophisticam Apophepsin aut præteritionem, ut tacendo omittas meum ualidissimum testimonium ex Eph. 2. citatum: ubi disertissimè Paulus primùm ponit seruationem aut iustificationem per gratiam, postea demum condi ad bona opera in Christo Iesu, id est, per inhabitationem ipsius. Item illud euentissimum Pauli à me citatum, quod in Epistola ad Roma. ubi studio ac ordine (ut tu etiam fateris) res tractat, primum describendo iustificationem & medium eius apprehendendæ fidem cap. 3. & 4. postea demum cap. 5. donationem spiritus sancti eiusq; diffu-

diffusionem in corda nostra, Item quod citavi
Caluinum regenerationem iustificationi post
ponentem.

Hiscè omnibus iste Rhetor alto silentio
præternavigatis, demum cauillatur præpositi
onem PER, de qua paulò ante dixi.

Hæc nimium prolixè coactus sum agere,
contra eius 23 solutionem, ob innumera so-
phismata, quæ hic in ea admiscuit. Hinc uerò
nihilominus apparet falsum esse istorum &
Osiandri dogma, quòd per inhabitationem
Christi iustificemur, sicut iste subinde benè
Osiandricè reperit, ut intra nos Christum re-
cipiamus, & postea omnia ex eo in nobis IN
HABITANTE HAVRIAMVS, oblitus, qd fi-
de ad thronum gratiæ accedere debeamus, &
ibi PER & PROPTER illum Pontificem, in
suo cœlesti tabernaculo, iuxta thronum gra-
tiæ, remissionem peccatorum, & omnia bona
emendicare. Credo sanè eū rectius sentire, sed
certè incommodissimè & contra morem scri-
pturæ de tanto articulo loquitur. Verùm de
hac re etiam postea aliquid dicetur.

CONTRA 24. SOLUTIONEM.

Hanc eius solutionem, quàm sophistica ac
falsa sit, non benè poterit lector animaduerte
re, si non habeat adiunctam meam demõstra-
tionem, nam ipse eam prorsus fraudulèter re-
citauit: Quare ipsam primum adscribemus.

Zuingliani priores, in PRAEDICTIS
VERBIS COENÆ, tantum illam manduca-
tionem corporis Christi collocauerant, quæ

H 5 effect

esset perceptio fructuum beneficiorum, seu
efficaciae aut meriti corporis, sanguinis aut
passionis Christi, id est, remissionis peccato-
rum, aut iustificationis per fidem. Eam uerò
manducationem praesens eius erroris instau-
rator, **EX PRÆDICTIS COENÆ
VERBIS** explosit, & aliam nempe man-
ducationem inhabitationis aut incorporatio-
nis, pro ea substituit, quæ esset medium aut
aditus ad illam, quod in mea fidei admoniti-
one, citatis eius proprijs dictis, ostendi. Nunc
porrò liquido ex prædictis apparet, etiam i-
stam ipsius manducationem inde exploden-
dam esse. Ergo reiectis alijs manducationi-
bus corporis Christi, necessario sequitur, no-
stram hanc Sacramentalem aut corporalem,
quæ sola superest ibi à Christo institutam san-
ctamq; esse.

Suam solutionem ipse sic incipit. **Re-
spondeo Illyrice, Hic si usquam alibi, quo spi-
ritu ducaris, etiam ipsos pueros cognituros:
Primum enim falsum est quod dicis, priorem
illam manducationem à D. Caluino explo-
sam esse, Nam si ita esset, ubi tandem salus no-
stra consisteret?**

**Respondeo ego tibi uicissim, omnes hinc
cognituros, quibus ueritas curæ erit, te in
hoc certamine prorsus sophistico (ne quid
grauius dicam) spiritu duci: nam ego non di-
xi in genere Caluinum simpliciter, illam man-
ducationem Christi, quæ est remissio pecca-
torum explosisse, sed tantum ex illis uerbis sa-
cræ**

cræ Cœnæ, Accipite & comedite, Hoc est corpus meum, seu negasse Zuinglianorum interpretationem, ibi tantum spirituales illam fructuum aut beneficiorum CHRISTI perceptionem intelligentium esse ueram, & suam de essentiæ corporis ipsius manducatione pro ea substituisse: cuius rei probationem mea demonstratio testatur esse in fidei admonitione: Quæ testimonia ex Caluini scriptis citata, istum à mea probatione auertisse oportuit, si uerè eam soluere uoluit. Quod cum non fecerit, uerè me illis meam sententiam probasse satis clarè est confessus.

Ex illis uerò testimonijs, ego tantum duo hîc adscribam.

Super locum 1. ad Corinth. undecimo, de uerbis Cœnæ Domini, post Zuinglianorum reprehensionem ita scribit: Præterea audio quid VERBA sonent. Neque enim mortis tantum & resurrectionis suæ beneficia nobis offert Christus, Sed CORPVS IPSVM, in quo PASSVS EST & resurrexit, hoc est, VERE, nobis in Cœna dari corpus Christi.

Ibidem super 1. Corinth. 11. Videamus, QVOMODO nobis detur corpus Christi, QUIDAM nobis DARI exponunt, dum participes efficimur omnium bonorum, quæ nobis Christus in corpore suo acquisiuit, dum fide inquam amplectimur CHRISTVM pro nobis crucifixum, & à mortuis excitatum, eoque modo efficaciter omnibus

omnibus eius bonis communicamus . Qui fic
sentiunt, fruantur sanè illo sensu: EGO autem
tunc nos demum participare Christi bonis a-
gnosco, postquam Christū ipsum obtinemus.
Obtineri autem dico nō tantum, cum pro no-
bis factam uictimam esse credimus: sed dum
in nobis habitat, dum est unum nobiscum,
dum eius sumus mēbra ex carne ipsius, dum
in unam deniq; & uitam & substantiam (ut
ita loquar) cum ipso coalescimus.

En uides ipsum clarè illorum interpreta-
tionem, quomodo detur nobis corpus Chri-
sti, tantum de fructibus intelligentium explo-
sisse ex uerbis, Hoc est corpus meum, & in se-
cundam partem uerborum sacrae coenae reie-
cisse, nempe quod pro uobis datur, quia in pri-
ore tantum ipsius corporis exhibitio describa-
tur, in posteriore autē, propriè fructus aut be-
neficia: sed in fideli admonitione plura eius
acria dicta contra Zuinglianos adscripti.

Hinc igitur iudicent etiam pueri, quo spi-
ritu in hac parte uelego uel Beza ducatur.

Post hanc fallaciam, penè dixissem tetram
calumniam, subiicit aliam planè similem his-
ce uerbis: Deinde manducationem, quam uo-
cas in habitationis siue incorporationis, si tu
explosisses, quid quæso effecisses?

Non dixi me eam simpliciter explosisse,
sed præcedentibus argumentis liquido mon-
strasse, eam nequaquam in uerbis sacri testa-
menti, Hoc est corpus, proponi aut institui.
Quare falso mihi hoc triste scelus aut pernicio-
sum

sum errorem tribuit, cui insuper superstruit
horredam criminationum amplificationem.
Deus cohibeat istas diabolicas criminationes.

Quæ obsecro te Christiane frater, impu-
dētior calumnia excogitari potest, quàm si ne-
ganti in aliquo scripturæ loco agi de merito
Christi, aut alio quopiam fidei articulo quis
obijciat, eum omnino meritum Christi aut a-
lium articulum explodere, sicut hic me ca-
lumniatur.

Ex hisce tragicis accusationibus aut crimi-
nationib. digressus, quærit ubi ego didicerim
ista duo epitheta, Sacramentalis & corporalis
synonyma esse? Respondeo non utor eis, ut pla-
ne synonymis, sed ut diuersas quidem, sed ta-
men coniunctas proprietates eius communi-
cationis, quam Christus in sacra Cœna insti-
tuit, significantes. Sed ideo coniungo ista duo
epitheta, quoniam omnia Sacramenta sunt ex-
terna quædam signa, quibus promissiones Dei
confirmantur, ut ipsemet confitetur. Mandu-
cationem uero illam corporis Domini esse si-
gnum, sigillum, aut pignus eius sacramenti &
promissionum, ipsemet confitentur nõ semel:
tum porro ibi corporale manducatione insti-
tuit, clarè ipse Dominus testatur, qui de exter-
na manducatione loquens, dicit, Accipite & co-
medite, Hoc est corpus meum.

Locutio Sacramentalis manducatio, tan-
tum isti nostræ, quam ex uerbo Dei credimus
externo ritu fieri, conuenit, non isti ipsorum,
quam illi dicunt etiam extra hoc Sacramentū
haberi,

haberi, atq; adeo antequam uel hoc uel aliud
tillum sacramentum institutum est, quæq; est
propriè spiritualis. Quare illi reuera sacramē
talem manducationem tollunt.

Quare apagesis tu potius cum istis tuis fi-
gmentis, ex diametro cum uerbis sacrosancti
testamenti Christi pugnantibus.

CONTRA 25. SOLUTIONEM.

Hanc quoque solutionem connexuit cum
præcedentibus tribus, licet plurimum inter
se uariant, ut tanto minus in illo cumulo aut
confusione distingui, & sophisticæ ipsius frau-
des animaduerti possint.

Hic uero diligenter obseruetur malitiosa
sophistica hominis: Ego enim initio meæ de-
monstrationis, diligenter distinxī sacrum te-
xtum huius sacramenti, idque etiam compro-
bante Caluino, simulq; ostendi, quid sit essen-
tia huius sacramenti, nempe tota illa existen-
tia aut essentia, Accipit & dedit panem ac ui-
num dicens, accipite & comedite, Hoc est cor-
pus meū, Hic est sanguis meus, usq; ad, Quod
pro uobis traditur, &c. In sequētibus uerò fru-
ctū ac finem effectumq; huius sacramenti de-
scribi, ostendi.

Hanc tum distinctionem textus, tum eti-
am appellationem huius sacramenti non im-
probat, sicut etiam in solutione primæ demon-
strationis ab eo comprobata esse supra o-
stendi: Sed insuper etiam in recitatione sum-
mæ nostræ demonstrationis eam maliciose
præterit, cum non ignoret in ea distinctione
&

& appellatione Essentia ac Fructus fundamē-
tum aut basin totius huius meæ probationis
consistere, & lucem omnibus sequentibus af-
ferre. Omissa igitur maxima parte demonstra-
tionis recitat sequentia.

Recitatis uerò aliquot lineis, in quibus o-
stendo Galuinum sibimet cōtradicare, Incipit
me arguere mendacij, utendo aliter præcipu-
is uocabulis, quàm uel res postulat, uel mea di-
stinctio euincit.

Sed præstiterit totam meam demonstrati-
onem adscribere, ut tanto magis fraus eius &
sophismata, meæq; demonstrationis soliditas
patescant. Ea uerò ita habet.

Porro obseruetur & illa palpabilis huius
erroris contradictio, qua semetipsum redargu-
it ac euertit. Dixi in mea Fideli admonitio-
ne, & etiam supra, duas esse partes sacrosan-
cti huius Testamenti, altera in qua essentia hu-
ius sacramenti describatur, uidelicet usque
ad uerba, Quod pro uobis traditur aut effun-
ditur: Alteram, in qua effectus, fructus aut u-
sus eius indicetur. Quæ distinctio est sum-
ma diligentia obseruanda ac retinenda. Eam
distinctionem iste comprobat, hisce supra quo-
que recitatis uerbis, Quod pro uobis da-
tur, &c. Cæterum hoc secundum est mem-
brum promissionis, quod leuiter prætereun-
dum non est, neque enim simpliciter & sine
adietione Christus corpus suum nobis of-
fert, sed quatenus pro nobis immolatum est.
Prius ergo membrum, significat nobis cor-
pus

pius exhiberi, hoc secundum exprimit, quis in
de fructus ad nos perueniat (Hæc omnia iste
in sua recitatione omittit.)

Idem quoque autor uerissimè dicit Ephe. 5.
Sacramenta nos ducere ad Christum, esse ceu
organa, per quæ Christus nos mundet. Ver-
ba eius inter alia hæc sunt. Hic demum uerus
ac rectus Sacramenti usus est rectà nos ad Chri-
stum manu ducere. Nota ad Christum addu-
cere, esse effectum aut fructum Sacramenti, &
non ipsam eius essentiam aut substantiam. I-
tem in Harmonia docet, potione sanguinis
Christi, sanciri hoc fœdus, ut sit efficax, quod
idem est, ac si diceret, potione sanguinis præ-
cedere omnino efficaciam huius Sacramenti.
At contra negari non potest, & ipsemet arti-
fex istius dogmatis passim docet, inhabitatio-
nem Christi in nobis, qua renouamur, & ita in
eum transmutamur, ut fiamus caro de carne,
& os de ossibus eius, esse unum ex præcipuis
ipsius beneficijs, quæ postquam ad Christum
adducti simus, ab eo accipiamus.

Quare palpabiliter secummet pugnat, dū
istam manducationem Christi iam facit essen-
tiam Sacramenti, iam effectum ex eius effica-
cia proueniētem; iam facit eam nos deducere
primum ad Christum, iam beneficium ac do-
num Christi, quod postquam ad Christum ad-
ducti sumus, & per eum ad thronum gratiæ ac-
cessimus, ipsius intercessione à Patre conse-
quamur, cum hæc longissimè inter sese di-
stent. Longè enim aliud est digitus & sermo
Baptistæ

Baptistæ, agnū Dei mōstrans, q̄ est ipsum uer-
bū ac sacramenta nos ad Christū ducentia, ali-
ud mea accessio aut fides ad agnum, & per eū
ad Patrem uel thronum gratiæ: Aliud deniq̄
beneficia, quę postquam hunc agnum aut me-
diatorem accessi, per & propter eum impetro
à Deo Patre, quę sunt iustificatio, filij eius ac
spiritus sancti inhabitatio seu renouatio, aut
nostri in eum (ut ita dicam) incorporatio, & de-
niq̄ uita æterna: Hęc est tota mea demonstra-
tio: Ipse uerò circiter in medio, facit principiū
recitandæ eius, excluso (ut dictū est) præcipuo
eius fundamento. Recitatis igitur aliquot uer-
bis, quę hīc omnia repetere non attinet, tan-
dem hęc mea suaq̄ proponit. Itaq̄ palpabili-
ter secum pugnat Calvinus, dum istam man-
ducationem Christi, iam facit essentiam Sacra-
menti, iam effectum ex ipsius efficacia proue-
nientem.

Respondet ille, Hoc falsum est Illyrice, ali-
ud enim est D. Caluino manducatio, quę est
actio, quàm illud ipsum quod māducatur spi-
ritualiter, nimirum per fidem, nempe Chri-
stus, qui res est & essentia sacramentorum. ego
dico sententias Caluini pugnare in hac re, ille
mihi uocabula quędam exponit. Hīc igitur sci-
endum est istum ludere uocabulis. Ego nō di-
co ipsum Calvinum sic malè uti istis uocibus,
sed postquam ostendi mea distinctione (quam
ipse hic illæsam præterit, & supra cum suo Cal-
uino comprobauit) priorem partem testamen-
ti describere essentiam, posteriorem fructus:

I

Tum

Tum demum ostendi, eum suis dictis, quæ ex libris eius recitavi, eandem rem, modo in causam, modo in essentiam, modo in fructus aut effectus ponere.

Idem nunc denuo breuissimè ostendam, si fortè quæstionem istam rectius intueri uellet. Aliàs igitur dicit Caluinus, sacramenta nos primum ducere ad Christum: Hoc sanè effectus Sacramenti est, qui iam est extra ipsum sacramentum. Postquam uerò sumus adducti ad Christum, tum demum fide comedendus est. Itaq; hac ratione secundum sententiam Caluini, manducatio fidei esset procul extra ipsam existentiam, aut (ut ita dicam) extra corpus sacramenti inter remotiores eius effectus collocanda. Sic & Beza dicit sacramenta esse instrumeta in eum finem instituta, ut uniantur Christo. Iterum alibi Caluinus dicit, potione sanguinis sanciri hoc fœdus, ut sit EFFICAX. Hoc sanè est spirituales istam manducationem ante omnem efficaciam ponere. Idem docet manducationem fidei esse unum ex præcipuis Christi beneficijs, quod postquã ad eum adducti sumus, percipimus. Palpásne iam quã illi contradictionem obijciam?

Ego urgeo dictorum ipsius de sacramentis ac Christi manducatione pugnantia. Quæ dicta ille non concordat, ut soluentem oportuisset: sed exponit mihi uocabula Caluini, quod manducatio ei nõ significet ipsum Christum, quod ego ei nunquam obieceram.

Noli mihi exponere uocabula, de quibus
his

hic lis non est, sed dicta pugnantia Caluini concordato, si uis quod uera solutio postulat facere.

Sequitur porro in eius textu, ubi primum sunt mea uerba ab ipso recitata, postea eius. Iam facit Calvinus spirituales manducationem nos deducere ad Christum. Iterum (inquit ille) hoc falsum est.

Obsecro an non clare scribit Ephe. 5. officium sacramentorum esse, nos ad Christum adducere? an non autem in medio & corpore aut existentia huius sacramenti collocat spirituales manducationem in uerbis, Accipite & comedite, Hoc est corpus meum: Quae tandem audacia uel etiam insania est, hoc negare, ac dicere, Calvinum solum panem ac uinum, uel sola aquam uocare sacramenta? Si illa sola elementa per se uocat sacramenta, grauius peccat.

Iterum mea uerba recitat, Iam facit beneficium ac donum Christi, quod postquam ad eum adducti sumus, a Patre consequamur: Hoc iterum falsitatis arguit. At qua tandem fronte? an negat nos prius oportere ad Christum uenire seu adduci, priusquam eum comedamus? An potius oportet nos prius comedere eum, quam ad ipsum ueniamus?

En uides Christiane lector, quo candore & parrhesia ea omnia quae refutare non potest, uel praeterit, ut initio huius solutionis fecit, uel falsitatis audacter accusat.

CONTRA 26. SOLUTIONEM.

In hac solutione, quam tandem aperte a prioribus. separat, partim rejicit meam explicationem

1 2 loci

loci Ioan. 6. partim etiam ueram esse agnosce-
re cogitur.

Primum autem obseruetur eius hyperbo-
le, quòd dicit, me illam tractationem aut de-
monstrationem uix quatuordecim paginis
absoluisse, cum tantum sex pagellæ sint. Quod
quidem mendaciolum, per se sanè leue sit, sed
tamen indicium est eius importunæ & im-
piæ rhetorices, quam (ut passim supra ostendi-
mus) non pudet ex musca elephantum, & ui-
cissim ex elephanto culicem, facere, pro ut eius
affectus feruent, quæ impia impostura in sa-
cris rebus tractandis perniciosissima est, & pu-
illos Christi, etiam cum res ipsæ bonæ ueræq;
sunt, magis dementat, q̄ docet. Merito pro-
fecto tales sophistæ unà cum suis scriptis om-
nibus pusillis Christi & ueritatis amatoribus
suspecti & exosi esse deberent.

Secundò, cum soleamus eis respondere, in
cap. Ioan. 6. non agi de sacra cœna, eorq; non es-
se confundēdos textus, de diuersissimis rebus
agentes: respondet, non agitur quidem illic de
sacra cœna: at certè agitur de eadem manduca-
tione corporis Domini: quod tamen non pro-
bat nec probabit unq̄ Sed satis fortè est, quòd
Ipse id dixit. At ego hoc breui syllogismo, non
adhibitis 14 paginis, contrarium liquido pro-
babo.

Vbicunq; agitur de alicuius sacramenti si-
gillo, pignore, & eo, quo aliquod sacramentū
confirmatur, ibi etiam de illo ipso sacramēto
agitur, Vnius cuiusq; enim sigillorum generi
propriū

proprium est, ut sint suo diplomati coniunctissima, illaque proprie obsignent. At isti testantur spirituales manducationem esse sigillum & pignus sacrae cœnæ, eoque illam confirmari. Calvinus supra Exod. 24. Hebr. 9 10. 1. Cor. 11. Beza Matth. 26. Testantur iidem etiam de illa ipsa manducatione agi, Ioan. 6. Igitur illic agitur de sacra cœna: sed hoc est falsissimum, & negatur etiam ab istis. Igitur & illorum antecedens est falsum, quod de eadem fidei manducatione agatur in uerbis, accipite & comedite: Hoc est corpus & sanguis meus. Accipe idem argumentum aliter, Vbi non agitur de sacra cœna, non agitur etiam de eius proprio pignore, sigillo aut re, qua ea sancitur, uel confirmatur illud fœdus. Sed Ioan. 6. non agitur de sacra cœna. Igitur etiã non de eius proprio pignore. Vel denique hoc modo: Ioan. 6. non agitur de pignore, sigillo & confirmatione sacrae cœnæ: Igitur etiam non de eadem manducatione corporis Dñi, de qua in sacra cœna, quam esse sigillum, pignus, confirmationem, & id, quo illud fœdus sancitur, clarè Calvinus & Beza testantur. Respõde Rhetor per tuas 14 paginas.

Sequitur igitur hinc hoc idem, quod semper ursumus, non agi hinc de sacra cœna, non agi de eadem manducatione, de qua in uerbis, Hoc est corpus meum, ac denique non rectè accipi hinc sacrae cœnæ Sacramentale externam manducationem oppugnari.

Reprehendit Beza hic eos, qui docet, quod caro Christi eatenus nos aliat, sicut panis noster,

1 3 ster,

ster, quatenus pro nobis passa est, & à nobis id
sacrificium fide apprehenditur. Isti enim uo-
lunt prorsus, Osiandri more, hoc dictum doce-
re, quòd ipsamet essentia aut substàtia Christi
pascamur ad salutem.

At Christus ipse nobis suam sententiam
liquidò exponit, Primum enim dixit, se esse pa-
nem coelestem & uiuificum. Id cum sæpius in-
culcasset, adiecit etiam, oportere homines illū
panem edere, tandem addit explicationem hi-
sce uerbis uersu 51, Panis autem, quem ego da-
bo caro mea est: ecce facit gradum à sua perso-
na ad carnem, & addit porrò luculentissimam
expositionem, quomodo ipse aut caro eius sit
panis, caro mea quam ego dabo **PRO MUN-
DI VITA.**

Quo membro non id agit, ut distinguat
hanc suam carnem ab alijs carnibus, quasi plu-
res habeat suas ueras carnes, aut hanc sit datu-
rus nō alias: Sed illuc respicit, ut declaret, quo-
modo dicat uel se, uel suam carnem esse pa-
nem uiuificum, nempe quia hæc caro aut cor-
pus Christi patietur pro uita hominum, id est,
patiēdo redimet homines ex morte, & ac-
quiret iusticiam imputatiuam, quæ uitæ cau-
sa est.

Ecce audis uerissimam maximeq; autenti-
cam glossam, quomodo, & qua ratione Chri-
stus ibi dicat, se, suum corpus ac carnem esse
uerum panem, non quia ille ipsa essentia suæ
personæ nos pascat, ut Osiander cum i-
stis fermè Capernaítico more locutus est, Sed
ca tenus

catenus est panis, quatenus pro mundi aut ho-
minū uita datur, nempe ut ipse moriendo nos
à morte liberet, ut ipse præstando illam sum-
mam obedientiā extremæ exinanitionis iu-
sticiam nobis acquirat, quæ liberat à morte, &
precium uitæ coram Deo est, ut Salomon sepe
pronunciat, & Calvinus super hunc ipsum lo-
cum cōmodè differit, iusticiā esse causam uitæ.

Consideret Christianus lector, an non hæc
Christi glossa aut expositio potētissimè redar-
guat istorum figmenta, quòd caro Christi cate-
nus nobis uitam det, quatenus ipsa sua substā-
tia nos pascat, & non quatenus pro mundi ui-
ta detur, quatenus sua morte nobis mortuis in
inferno, uitam emit, & quatenus pro nobis iu-
sticiam legi, iræ, ac seueræ Dei iusticiæ præstat,
quæ unica uitæ hominum causa est.

Atq; ad hunc intellectum seu glossam quo-
modo Christus sit nobis salutaris, tota nos scri-
ptura deducit, ubiq; clamans, nos morte Chri-
sti liberari à morte, & redimi ad uitā, nos san-
guine Christi lauari, & deniq; obediētia ac pas-
sione Christi eam legis impletionē & plenissi-
mam perfectissimamq; uel etiā superabundan-
tem iusticiā nobis parari, ob quam lex & seue-
ra Dei iusticia, quantūuis antea irata nobis (ut
ita dicam) uolens nolens uitam dare cogitur.

Cū igitur tota scriptura hanc glossam
comprobet, & urgeat, quòd passio Christi aut
sanguis sint nostra iusticia, redemptio à morte
& acquisitio uitæ, & Christus ipse eam nobis
hīc et alibi mōstret, docēs, se sic panē uitæ aut fa-

lutiferum esse, quia detur pro mundi uita, necessario hunc sensum horum uerborum hinc & alibi in tota scriptura monstratum sequi cogimur, reiecto isto Osiandrico, quem Bezae uerba sapientissime exprimunt, ut Christum intra nos recipientes, omnia IN DE HAVRIA M V S, quod iste sapientissime inculcat: Non enim ipsamet Christi substantia aut eius inhabitatione, sed eius uulnere aut merito, ut proxima causa seu medicina, teste Esaia, sanamur & saluamur. Hoc modo hunc Ioannis locum etiam ipse Caluinus in suis institutionibus exposuit, cuius dictum postea adscribemus.

Quare cum in hoc textu reuera non proprie ipsiusmet substantiae comestio, (ut isti uolunt) urgeatur: sed fruitio passionis ac meriti Christi, eoque nec spiritualis ista inhabitatio aut incorporatio hinc tradatur, perperam omnino ac impie hoc caput, cum illa sacramentataria comestione Domini in sacra coena commisceatur, aut potius illa per hanc tollitur.

Scribit uero ipse contra hunc uerissimum sensum in hunc modum: sed hoc commentum de sola efficacia absque subiecto participatione quod attinet pluribus refutare? Ipse Christus optimus suae mentis interpret, antequam haec diceret, quae isti ad solam efficaciam detorquet, nempe qui edit carnem meam, &c. Caro mea est cibus, &c. dixerat, Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita.

Bella uero ratiocinatio, postea dixit sic: Igitur
tur

tur ille uersiculus non monstrat rerum sensum. Quid si etiam aliquid simile antecessit? At contra hanc ratiocinationem obserua, q̄ ante uerba explicantia habeatur illud obscurius dictū. Sic etenim uerba Domini recitat Ioānes: Ego sum panis uitæ, qui de cœlo descēdit: Si quis ederit ex hoc pane, uiuet in æternum, panis autem, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo PRO mundi uita.

Hinc igitur clarè uides, uerba Christi, quæ quasi textum continent, præcedere ante illa, quæ ueluti glossæ uim obtinent. Nam in præcedentibus satis manifestè dicit Dominus (quod ueluti textum nomino) se esse uerum panem, esse comedēdum, & panem quem sit daturus, esse ipsam carnem suam. Sequitur porrò mox illa (quam sic uoco) glossa, quomodo ipse sit panis uitalis ac comedendus, & quòd ille sit caro sua, cū protinus subijcit, Quam ego dabo pro mundi VITA, quod idem est, ac Moriendo iusticiam ac uitam mundo acquiram.

Hanc uerò glossam aut expositionem Domini, quia impij non intelligunt, hærent in illis præcedentibus seu obscuriore textu, quòd sit panis, quòd sit comedendus, & q̄ ille panis sit caro sua. Quare inde absurdum colligunt, eoq̄ Domini doctrinam, ut propalam falsam ac absurdam, redarguere conantur, dicentes: Quomodo hic potest nobis dare carnē suam ad manducandum? Quare Christus porro impijs hoībus nō dignatur denuo explicare quæ semel explicuit: sed tantum urget id omnino

esse ac fore uerum, siue illi credant siue non.

Falsum etiam est & calumniosum, quod iste obijcit, nos statuere efficaciam sine subiecto. Quomodo enim potest uictima in mortem pro nobis Dari, si nullus agnus Dei ibi esse statuatur? aut non nobis datus nobisque natus esse credatur? Credendum enim omnino est, si seruari uolumus, Patrem adeo mundum dilexisse, ut nobis ab æterno Filium suum largitus sit, eumque totius mundi peccata ac penas in sese recepisse, & planè abstulisse. Quare abeant in malam rem istæ calumniæ. Non enim est scriptum, Substantia eius sanati aut uiuificati sumus, sed liuore aut plaga.

Concidunt igitur cauillationes Bezianæ prorsus, liquidoque apparet, interpretante se ipsomet Domino, quid sit Christum esse panem, suamque carnem dare nobis comedendam: nempe idem, quod dare se suamque carnem pro mundi uita: quod dare, passio aut sacrificium fide est apprehendendum & comedendum, quodque ipse ideo & eatenus sit panis uiuificus, quatenus se pro nobis in mortem dando, uitam nobis emit.

Quod ad Patres attinet, quorum hic facit mentionem, hoc certum est, quosdam hinc adeo importunè ipsam doctrinam de Eucharistia uixisse, ut nonnulli hinc etiam infantibus Eucharistiam dandam esse probare uoluerunt. Quare Patrum intempestiua declamatio nihil ueritati præiudicare debet.

Augustinus lib. tertio de doctrina Christiana,

stiana, capite decimosexto clarè ita de hisce dicitis scribit: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis uitam in uobis. Facinus uel flagitium uidetur iubere. Figura est ergo, præcipiens passioni Domini esse communicandum, & sua- uiter ac utiliter recondédum in memoria, quæ pro nobis caro eius crucifixa sit & uulnerata. En uides Augustinum nostram sententiam contra illos comprobare ac intelligere de passionis comestione aut apprehensione.

Quin etiam Calvinus in institutionibus ea de perceptione passionis exponit: inquit enim Dum in memoriam reuocat Christum panem uitæ esse factum, quo assiduè uescamur, eiusque panis gustû & saporè nobis præbet, ut uim panis illius sentiamus facit. Pollicetur enim nobis, quicquid fecit aut passus est Christus, id ad nos VIVIFICANDOS factum esse. Deinde hanc uiuificationem æternam esse, qua sine fine alimur, sustineamur & cõseruemur in uita. Siquidem ut panis uitæ nobis nõ fuisset Christus, nisi nobis natus & mortuus fuisset, nisi nobis resurrexisset: ita nunc minimè esset, nisi eius natiuitatis, mortis, resurrectionis, efficaciam, & fructus res æterna foret ac immortalis. Quod totum eleganter his uerbis expressit Christus, Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita. Quibus haud dubiè innuit, suum nobis corpus ideo pro pane futurum ad spirituales animæ uitam, quia in mortem pro salute nostra exponendum erat.

Atq;

Atq; hæc ab eo nobis opposita, & nunc à me dilucidè refutata fermè prorsus extra meam priorem demonstrationem agitata sunt.

Progreditur igitur tandem ad meam demonstrationem, quæ in eo consistit, idq; euidenter demonstrat, nec Capernaitas ibi quærere, quomodo caro Christi sit comedèda, nec Christum etiam eis modum edendi ibi declarare. Horum quod prius est concedit Beza, qd quidem est fundamētum eius demonstrationis. Verba Bezianæ concessionis sunt hæc:

Hæc Illyr. in eo quidè rectè sentiens, q; Capernaitas arbitratur, non quo sensu uel modo intelligendū esset, quod Christus dicebat, quæsiuisse, ut ij solent, qui, quod sibi dicitur, approbantes, tamen de ipsius modo & ratione percontantur: sed potius Christi sermones, ut penitus absurdos reiecisse. Sed in eo planè aberrat à uero, quòd non consideret hac particula **QVOMODO**, quæ est admirantis, aut potius **AVERSANTIS**, significari etiam causam quæ Capernaitas impulerit, ut Christi uerbis non assentirentur.

En audis, non proponere hîc quæstionē Domino Capernaitas de modo manducandī, sed tantum arguere eius doctrinam falsitatis hoc absurdo & impossibili, quòd dixerat se daturum se suasue carnes comedèdas. Quare cum non proponatur quæstio de modo manducandi, nec solutio quoq; eius hic à Domino proponitur, quomodo corpus eius sit fide spūaliter, non ore percipiendum, ut hætenus isti ingerunt

ti

ti audacia & importunitate contra nos contem-
derunt. Sed Dominus hoc ipsum absurdum
contra illos obstinatos urgere, eosq; incredu-
litas & incarnalitatis accusare & redarguere
pergit.

Quod uerò ad posteriorem partem prædi-
ctorum Beze uerborum attinet, in quibus di-
cit me non considerasse in uocula **QVOMO-**
DO, etiam causam contineri, cur Capernaitæ
Christo non assentirentur, acutè sanè cogitatū
sophisma est: ac fateor quoq; me id (ut ipse a-
it) non cōsiderasse, quia nihil planè tale ibi cō-
tinetur, imò liquido contrarium probatur ex
præcedentibus.

Quòd autem ista Christi locutio de sui sua-
rumue carniū comestione non sit **CAVSA**,
quæ (ut iste uult) illos **IMPVLERIT**, ut uer-
bis Christi non assentirentur, inde manifestis-
simum est, quia iam longè antea, quàm audi-
uissent de manducatione carnis Domini, satis
contumaciter doctrinam eius reiecerant, nem-
pe uersu, 30. & 31. dicentes. Quod tu signum fa-
cis, ut credamus tibi? Patres nostri comederūt
Manna, &c. Item 41. & 42. Murmurabant ergo
Iudæi. Quare etiam Christus iam aliquoties
acerbè arguerat illorum incredulitatē ac car-
nalitatem, dixeratq; solius Patris opus esse, at-
trahere homines ad se filium eius, ut uersu 32.
36. 43. 44. & 45. habetur.

Quare istud **QVOMODO** positum uer-
su. 52. nequaquam indicat causam eorum in-
credulitatis. Dominus ipse eā satis supra ape-
ruerat

ruerat uersu 44. cum dixerat neminem posse
se ad ipsum uenire, seu in eum credere, sed o-
portere, ut Pater eos ad filium potenter attra-
hat, omnesq; sint theodidacti.

Non igitur causa eorum incredulitatis, in
doctrina Christi ullatenus per illud **QVOMO-
DO** & precedens Christi, carnem meam man-
ducare, indicatur. Incredulitas enim eorum, non
tantum precesserat, sed etiam tum ipsorum, tum
Domini uerbis patefacta fuerat longe ante au-
ditum hoc paradoxon, ut eis apparebat, sed oc-
casio qualiscunq; calumniandi sanam Domini
doctrinam ibi ab illis perditissimis homini-
bus captatur.

Hoc modo etiam Bucerus istud **QVO-
MODO** intelligit exponitq;, nec non & Theo-
phy: cuius haec sunt uerba. Iudaei cum audis-
sent de **ESV CARNIS** illius, discedunt.
Ideo & uerbum incredulitatis dicunt, **QVO-
MODO?** Nam quando cogitationes incredu-
litas ingrediuntur in animam, ingreditur si-
mul **QVOMODO**.

Hinc ergo palpabiliter animaduertitur, i-
stud sophisticum effugium Bezae esse merum
ipsius capitis commentum, & non in textu rei
ueritatem habere, eoque merito Illyricum, pro
sua extrema stupiditate, id animaduertere ac
considerare non quiuisse.

Quare id tantum agit porro Dominus, ut
protesteretur contra ipsos, suam doctrinam om-
nino uerissimam esse, eosq; arguat & redarguat,
tum inculcando eadem, tum etiam argumen-
tando,

lando, uel etiam minando eis, per suam futu-
ram gloriosam potentiam: sicut & alias tali ar-
gumento conuincit simul & minatur pertinacibus
Iudæis, ut in mea Demonstratione liqui-
dò ostendi: Tum denique confundit eos ex-
probrando eis prolixè incredulitatem & perdi-
tam duriciem cordis, nempe. 63. 64. & 65. Non
igitur id agit, ut margaritas porcis proiciat,
porrò diligentius adhuc exponendo, quomo-
do uelit aut nolit dare suum corpus mandu-
candum, sed tantum suæ doctrinæ ueritatem
constanter inculcat.

Ad hæc uerba Christi, Spiritus est qui uiui-
ficat, CARO nō prodest quicquam, quibus ipsi
uel præcipuè contra nos abutuntur (tanq̄ si ibi
Christus ad quæstionem Capernaitarū respon-
derit, & sicut Oleuianus dicit nostram mandu-
cationē carnis Christi reiecerit) prorsus nihil
de modo edendæ carnis sonant. Quin potius
uidetur prorsus abijcere carnem, ut inutile, ut
si de eodem suo corpore hic uocem carnis in-
telligeret, omnino secum ipse pugnare uide-
tur, ut qui carnē suam, quam paulò ante ultra
modum prædicauerat, ut salutiferā extremeq̄
necessariam, nunc cōtra, ut planè inutilem, ab-
ijciat. Quare ea uox non de Christi, sed de no-
stra carne accipienda est.

Sic hanc uocem de nostra carne Chryso-
stomus quoque & Bucerus explicat: Quin etia-
am Calvinus in Commentarijs non de modo
comestionis hoc intelligit, sed solam carnem
sine diuinitate non prodesse.

Alij

Alij dum hoc de carne Christi intelligere ac exponere uolunt, necesse habent, se ac textum hunc miris & diris modis torquere, ac, penè dixissem, crucifigere. Sicut quidam nimium audacter uiolentam glossam adijcit, Caro non prodest quicquam, scilicet carnaliter comesa uel hausta.

Quare uerissimum est, hoc loco, Caro non prodest, Dominum loqui de carnali nostra natura, cui spiritualementem aut renatam & spiritum sanctum opponit. Est etiam obseruanda memorabilis illa regula, quod quoties caro spiritui opponitur, & alterum laudatur, alterum uilitur, proprie nostra carnalitas natiuaque malitia designetur.

Conferatur quæso isti cõiuncti tres uersiculi huius loci, nẽpe 63. & 64. & 65. mox liquido patebit ibi proprie obiurgari & conuinci illos peruicaces Iudeos extreme incredulitatis, carnalitatatis, ac impietatis, sicut ipsemet Dominus se refert ad superiorem reprehensionem eorum, quæ est uersu 43. 44. & 45. Refert autem se eò hisce uerbis: propterea dixi uobis, quod nemo POTEST uenire ad me, &c.

Hic igitur liquido patet, nec Capernaïtas quæsiuisse ex Domino modum comedendæ carnis Christi, nec Christum illis eam exposuisse, atque adeo eum prorsus nihil hinc de ista Zuinglianorum, quam illi in uerbis, Hoc est corpus meum, fingunt, manducatione egisse.

Concludo ergo ipsius proprijs uerbis. Hæc ego tibi ad istas tuas argutiolas respõdeo, nec
recuso,

recuso, quo minus fit penes omnes, aliq̄ in scri-
pturis iudicio p̄ditos homines, iudicium de
utriusq̄ explicatione.

CONTRA 27. SOLUTIONEM.

In 27. demonstratione ur̄si articuli p̄di-
cato adiuncti uim τὸ σῶμα τὸ αἷμα ILLVD
corpus ILLE sanguis meus, qui omnino in-
uersionibus exprimendus fuisset, ut autē non
sit expressus, habere tamen magnam uim ad
asserendam nostram sententiam.

Hic mihi obijcit Beza inscitiam, qui scili-
cet legerim alicubi articulorum magnā uim
esse, eoq̄ h̄ic quoq̄ sine omni iudicio exprimē-
dum fuisse putauerim. Scio autem sanē & ego
imperitorum esse uniuersales regulas, ubiq̄
urgere ac ineptē applicare, ut qui ignorent tū
eas habere suas exceptiones, tum etiam pro di-
uersitate rerum ac circumstantiarum diuer-
sos usus.

Conscius ipse est suæ ambitionis: scit nul-
lum sibi tam acerbum conuicium obijci pos-
se, quā si indoctus uocaretur, eoq̄ tam cupi-
dē suos aduersarios indoctos, stupidos, ac ru-
des, imō & asinos bestiasq̄ proclamat. Nouit
præterea illud stratagema diaboli, quo etiam
Paulus ab aduersarijs impetitus est, ut, quam-
primum aliquis ualdē eruditus esse uulgo ex-
istimatur, mox & ipse colatur ut semideus, &
talem Rabbi aut præceptorē nec posse nec uel-
le errare uulgus opinetur: Contra, si quis pute-
tur rudior, mox non tantum ipse contemna-
tur, sed etiam omnes eius sententiæ, quatum-

K uis

uis ueræ, ac quantumuis uerbo Dei euiden-
tissimo confirmatæ sint. Notum est illud uul-
gare dicteriū, Plus ille uidet dormiendo, quàm
tu uigilando.

Quare ob hoc præiudicium, quo ipsa eti-
am ueritas prægrauatur & damnatur, uel ne-
gligitur, coactus est Paulus homo sanctissi-
mus & modestissimus suam ueram spiritua-
lemq; eruditionem à calumnijs Pseudoaposto-
lorum & contemptu auditorum penè usq; ad
speciem turpis iactantiæ asserere.

An uerò inscitia in hoc peccauerim, uel
autem firmas rationes meæ sententiæ habue-
rim, facile ex mea demonstratione apparet, u-
bi plures grauesq; causas adscripsi, quas ipse
non refutauit, sciens facilius esse conuicijis,
quàm ueris rationibus certare.

Primum autem hic quæro, an Viretus non
sit uir solidè eruditus, & an illi Geneuæ, præ-
sertim in officina Stephaniana, cuius domi-
nis nihil detractum cupio, indocta & inepta
scripta imprimere soleant? Respondebit pro-
cul dubio mox, si non ore, at saltem animo,
nihil esse dubij, quin omnes cum illis sentien-
tes esse doctissimos, omnes uerò dissentientes
esse rudissimos afinos, ut est perliberalis ipse
cum suo Caluino in ornandis nostrarum Ec-
clesiarum doctoribus tam elegantibus titulis.

Dicet etiam, quæ in eorum officinis im-
primantur, non nisi graui censura doctissi-
morum uirorum examinata euulgari.

Iam igitur legat, quæ Viretus de hoc ipso
loco

loco & articulo in illo suo prolixo uolumine
de Sacramentis Geneuæ à Roberto Stephano
impressa annotauit, quæ quidem ego, cum
meas demonstrationes scriberem nondum le-
geram, alioqui certè maioris fidei gratia ad-
scripsissem.

Verba eius hæc sunt: Verùm enim uero,
quò clarius omnia liquecant, ad ipsa Chri-
sti uerba redeamus, eorumq; uim ac pondus
paulò diligentius excutiamus. Clarè enun-
ciat Christus, non solum hoc est corpus me-
um: sed articulo addito τὸ σῶμα μου, quod
perinde ualet ac si dicat ILLUD IPSVM
corpus meum, Quod nam uerò? τὸ ὑπὲρ ὑ-
μῶν διδόμενον quod pro uobis datur, τὸ ὑ-
πὲρ ὑμῶν κλώμενον, quod pro uobis frangi-
tur. Hanc enim uim habent Græci articuli. Cō-
sequitur igitur, aut uerum Christi corpus pro
nobis traditum, ac eadem ui cōsecutionis san-
guinē, qui effusus est, uerè in cœna adesse, aut
panem quem Christus demōstrabat traditum
pro nobis fuisse, & uinum effusum in remissi-
onem peccatorum: Hoc posterius quàm sit ab-
surdum uel cogitare, nemo non nouit. Hæc Vī-
retus. An non & ipse grauissimè urget empha-
sin articuli?

Porro uerò iterū, & quidem acerbè obijcit
non esse certamen, an in sacra cœna uerum cor-
pus exhibeatur, sed tantū de modo comeden-
di illud. De qua realiâs, spero, in nouis de-
mōstrationibus aut appendice harū refutatio-

num agetur: Quare hic eam præteribo, præfer-
tim cum etiam superius hæc materia iam ali-
quoties sit nonnihil tractata.

Hisce ita expeditis proponit quædam so-
phismata, quibus tum meas rationes euertere,
tum causas exponere conatur, cur articulum
eum non expresserit: Quarum prima est, quia
sequantur determinationes illorum prædica-
torum, corporis ac sanguinis Christi, nempe
quod pro uobis traditur, qui pro uobis effun-
ditur, eoque non fuisse necesse exprimere articu-
lum discriminis causa.

A quo uerò tandem grammatico mutua-
tus est ille istam regulam, quòd sequente cir-
cumscriptione nõ sit necesse articulum exprimere.

Respondeo, Non est hoc rarum, ut quo u-
na aliqua eximia res magis magisque illustre-
tur ac à cæteris distinguatur, pluribus eam ra-
tionibus distinguere aut determinare.

Ac ne quid hic fingere uidear, aut procul
probationes quærere, ipsius exemplis eum cõ-
futabo. Cum Ioannis 1. uertit, Ecce agnus IL-
LE Dei, qui tollit peccata mundi. Hic adest cir-
cumscriptio illustris istius agni, quòd uideli-
cet fit is propriè agnus Dei, qui solus debuit
iuxta prophetias, opera diaboli destruere, &
peccatum seu iniusticiam maledictionemque
mundi tollere: nihilominus Beza non tantum
expressit articulum per pronomen ILLE: Sed
etiam annotauit, articulum discernere hunc
à typicis ac ceremonialibus uictimis: idque ut
cõfirmet, & suę in eo uersionis ratione reddat,
citat

citatur in super illustres testes, Erasmus, Chryso-
stomum & Theophylactum, qui idem de hoc loco
monuerint. Quid ais bone uir, quomodo eua-
nescit tua sophistica regula? Nonne in hoc ex-
emplo à te ipso tuisque tribus testibus uanitatis
condemnatur?

Sic & in illo dicto: Hic est ILLE filius me-
us dilectus Matth. 3. & 17 non tantum articulū
expressit, sed etiam adiecit annotationem, mo-
nētem, necesse fuisse ibi exprimi articulum, ut
discerneretur ille filius naturalis ab alijs ad-
optiuis: Atqui etiam illic non minus sequitur
circumscriptio prædicati, quàm in uerbis cœ-
næ, Hic est ILLE filius meus dilectus, in quo
mihi bene complacuit. En audis Bezam ipsum
sua sophismata damnantem: uel potius mala
fide in oppressione ueritatis regulas cudentē.

Sic etiam in Latino sermone additur non
rarò prædicato tum pronomen ILLE, tum &
circumscriptio, ut si dicimus, Iulius Cæsar est
ILLE fœlix bellator, qui primus Romanū Im-
perium constituit. Tale est etiam illud ipsum
exemplum, quod ipse citauit: Tu ne es ille Æ-
neas, quem alma Venus genuit, Vbi tum pro-
nomen ille est, tum sequens circumscriptio
prædicati.

Denique ipsemet subindicat, significandæ di-
gnitatis causa, interdum solere addi prono-
men ILLE prædicato, cui adiuncta est circum-
scriptio: Cur ergo non uel dignitatis causa ex-
pressit eum?

At ego imperitus proprietatis articulorū,

K 3

prorsus

prorsus cōtrarium sentio, contrāriamq; regu-
lam sequor & assero, nempè illam sequentem
circumscriptionem adeo non excludere arti-
culum, ut ex eo tota fermè dependeat, cumq;
requirat. Quod in Latino quoque sermone
ualde perspicuum est, ut si dicerem, tu ne es
Æneas, quem Venus genuit, multo minus si-
gnificanter & pene mancè diceretur, quàm si
addiderem ILLE Æneas, QV E M. Quin etiam
pronomem relatiuum Qui, non obscure flagi-
tat illud antecedens ILLE: Ille Æneas, quem
Æneam? Ille ego qui quondam, ILLE & QVI
fese inuicem prorsus necessario respiciunt &
requirunt, adeo posterius illud QVI, prouoca-
bulum cum sua circumscriptione non exclu-
dit præcedentem articulum. Sic in Germanico,
Bistu der man, welcher das oder jenes hat ge-
than? Sic Italicum: Quello, el quale &c. Confe-
rat candidus lector tuam eruditam cum mea
indocta regula.

Addit etiam sophisma ineptum, quòd si uel-
lemus urgere articuli uim, sequuturum, ut nō
dederit Dominus sanguinem uel REMANEN-
TEM in corpore, uel POSTEA GLORIFI-
CATVM, sed eum, qui in terram sit effu-
sus: Hæc autem tantum suo more sophistica-
tur, sed non probat. Aliud enim est articu-
lus, aliud sequēs ἐκχυνόμενον, Sanguis qui ef-
funditur, quæ uox quàm latè pateat, an sit to-
tus sanguis effusus, aut non, an relictus ab
angelis, & in corpus reportatus, ac cum eo glo-
rificatus, uel à Nicodemo, ut tu nugaris, colle-
ctus,

ctus, & Pāpistis datus, hæc tibi scrutanda, & ex articulo, & istis tuis doctis regulis, si modo uerè dicis, eam uim in eo esse, definienda relinquo.

Hinc igitur clarè apparet, articulum nequaquam in uerbis cœnæ negligendum esse, cumque plurimum facere ad excludendos istorum typos, umbras, symbola, uerique corporis externam manducationem asserendam, quam externam manducationem exprinere illa uerba, Accipite & Comedite uolentes nolentes aduersarij concedere coguntur.

Quod porrò de triplici corpore Christi sophisticatur, partim concedens meam sententiam, partim nonnihil arrodens eam, & denique etiam quartum quoddam corpus Christi confingens, sub quo suum metonymicum aut symbolicum corpus occultat, extra caput summamuc huius meæ demonstrationis est, & dicetur aliquid de ea re postea.

CONTRA 28. SOLUTIONEM.

In hac solutione, si usquam alibi, nimis clarè ostendit aduersarius se nimium præcipitem esse in damnandis nostris scriptis & sententijs, tuendoque mordicus suo errore, quicquid nos tandem contra ex uerbo Dei afferamus. Legit enim clarè in mea 28 Demonstratione, me obiter tantum unicoque uerbo facere mentionem identicæ demonstrationis, & porrò indicare, quod clarè exposuerim in Fideli

admonitione, quam nam aut qualem Identificam prædicationem probem. Hoc inquam nõ tantum legit, sed etiam in sua hac cauillatione adscribit, & tamen mox ab initio uociferatur me impuram & impiam Scoti identicam prædicationem Ecclesiæ Dei obtrudere conari.

Quis hic tandem feruor aut potius furor est, damnare ea quæ non legisti, quæq; ignoras? Cur non distulisti istam tragicam accusationem, donec prædictum libellum iam secundo impressum meamq; sententiam cognouisses? Si sic libet cæco impetu ruere, obscurabis potius quàm illustrabis ueritatem. Memento quæso illud triuiale, Impedit ira animum, ne possit cernere uerum.

Postquam igitur Beza ista temeraria præcipitantia cœpit dicere de mea sententia, quam non lecto priore libello Fidelis admonitionis non intelligit, affert contra eam quædam sophismata, ac primum quidem quòd licet Paulus dicat τὸ ὑπὸ τὸ πὸτῆριον ἢ καὶ νῦν διαθήκη, Hoc poculum est illud nouum Testamētum, non tamen uelit omnino eandem rem esse poculum ac Testamentum.

Respondeo primum, quod dicit poculum, notissimum est, quòd nequaquam nostræ menti aut intellectui uelit indicare ipsum uas, sed ipsam potionem. Est enim iste modus loquendi in omnibus linguis usitatissimus, ipsa necessitate nos sic loqui cogente, ut, cùm propriè liquorem nominare uelimus, præsertim monstrantes in aliquo uase existentem, ipsum uasculum

sculum nominemus, cūm proprijsimè uelimus intelligere cōtentum liquorem : Sic cūm petimus potum, plerunq; dicimus, da huc poculum aut Cantharum.

Cūm de uarijs uinis coràm in uasis cōtētis loquimur, plerunq; dicimus: Hoc uas est uinum tale aut tale, uel hoc uas est acetum, oleū, cereuisia aut aqua, cum PROPRISSIME cōtētū ipsum respiciamus, & ab auditore intelligi uelimus, nulla prorsus habita ratiōe uasis.

Ratio huius locutionis est, quia illud cōtētum nec monstrari propriè potest, nec etiam existere, dari aut seruari per se.

Sic Pharmacopola monstrans diuersas rerum species, mōstrat externo aspectu tantum pixides, dicens, hæc pixis est piper, hæc est zinziber, est crocus, uel simpliciter, hoc est zinziber hoc crocus. Utrocunq; autem demum modo loquatur, indicat reuera auditori ipsum cōtētum, nulla prorsus habita ratione cōtētis. Quare tales locutiones propter perpetuam consuetudinem, summamq; sic loquendi necessitatem & deniq; propter summam perspicuitatem, planè potius pro proprijs haberi deberent, quàm pro figuratis.

Sed enim proprium esse in sermone putamus, quod usitatissimū simul & perspicuissimum est; sensu certè ac uoluntate dicentis & audientis proprijsimæ sunt, qui omnino non continens, sed cōtētum animo respiciunt ac considerant. Non enim magis perspicuè ac intelligibiliter dici posset, etiamsi diceretur,

K 5 Quod

Quod continetur in hoc uase est hoc, &c.

Sic igitur & in uerbis cœnæ, cū legitur hoc poculum simpliciter debet intelligi ipsa potio, nempe uinum ac sanguis, nulla penitus habitata ratione aut respectu poculi ac sanguinis. Illa uerò potio cum adiunctis reuera ipsum illud nouum fœdus, Sacramentum aut pactio est: Elementa enim eorum uic sumptio cum adiunctis reuera sunt Sacramentum, sicut etiam ipsi declamitant sacramenta esse signa. Duplex enim demonstratio est, ut postea ex Bucero intelligemus: altera ad sensum, altera ad intellectum, illa ad intellectum propria ac propriissima est, monstrat enim non poculum sed portionem ipsam. Rectissime ergo ac propriissime dicitur illam portionem elementa aut signa cum adiunctis esse illud nouum Fœdus aut testamentum.

Quare (si non libet sophisticè arrodere singulas literulas) omnino prædicta regula (quòd cū pronomen demonstratiuum subiecto additur & articulus prædicato, omnino eandem rem significant) etiam isti ipsi Paulino exemplo conuenit. Causa etiam huius regule in promptu est, quia utrunq; specificat, nempe tum demonstratio tum articulus, seu id, de quo agitur, ab alijs distinguit. Conuenit & altera regula, quòd uidelicet postquam subiectum pronomine demonstratiuo indicatū est, ferè semper sequatur articulus ante prædicatū rei, si nō solū uerbū uim prædicati obtineat. Exemplum illustre est in illo ipso sacre cœnæ

te-

textu, qđ ego etiã antea in meã hac demõstra-
tione citavi. πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες: τοῦτο
γὰρ ἐστὶ τὸ αἷμα μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης,
τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον, εἰς ἄφεσιν ἁ-
μαρτιῶν id est, Bibite ex eo omnes. Hic enim
est ILLE sanguis meus, ILLE noui Testamen-
ti, ILLE, qui pro multis effunditur in remissi-
onem peccatorum.

Hic uidemus toties repetitum articulũ ean-
dem rem indicare, quam pronomen, nẽpe san-
guinem. Ad singula enim illa tria prædicata re-
petenda est intellectu uox sanguinis, ille san-
guis noui Testamenti, Ille sanguis pro uo-
bis fusus.

Dicit uerò ille, suos grãmaticos uelle, ut cũ
ea regula seruanda sit, dicatur τοῦτο τὸ αἷμα
ἐστὶ αἷμα μου, hic sanguis est sanguis meus, id
est, ut nomen rei tum in subiecto tũ in prædi-
cato repetatur. Contrarium testatur epist. ad
Hebr. in hoc ipso exemplo aut oratione, habet
enim τὸ τοῦτο (ἐστὶ) τὸ αἷμα διαθήκης, Hic
sanguis est Testamenti: non dicit τοῦτο τὸ αἷμα
ἐστὶ αἷμα διαθήκης, Hic sanguis est sanguis
Testamenti: Cur uerò illa epistola tam ineptè
locuta est? ratio in promptu est, quia non habu-
it grammaticam Bezzæ ad manum, ex qua lo-
qui didicisset.

Quod autem ad Identicam prædicatio-
nem attinet, Lutherus eam in maiore confes-
sione eruditissimè simul contra sophistarum
transubstantiationem & istorum figuratũ cor-
pus

pus tractauit, quam ego ualde probo. Et si au-
tem meam sententiam in tertia parte Fidelis
admonitionis exposui, tamen hic simul Buce-
ri sententiam, cum mea congruentem, adscri-
bam.

In his itaq; locutionibus, Accipite & man-
ducate & bibite hoc est corpus meum, hic est
sanguis meus noui Testamenti uel nouum Te-
stamentum in sanguine meo, tropus synec-
doche est. Cùm enim ait Dominus, accipite mā-
ducate, Bibite, duas res offert, & sumere iubet
simul comprehensas, terrenam & cœlestem, ut
Ireneus, perceptibilē sensibus & perceptibilē
mente, terrenam & patentem sensibus, panem
& uinum, cœlestem, oblatū fidei corpus & san-
guinem Domini, atq; constans his nouum te-
stamētum, illa symbola, hæc res symbolorum,
& uera dona sunt. ita habet pronomen τοῦτο
id est, hoc, id enim non modo panem & pocu-
lum, sed simul ac PRRÆCIPVE demonstrat
& exhibet corpus & sanguinem Domini ac te-
stamentum nouum, Duplex enim demonstra-
tio est ad sensum & ad intellectum, ita, ut in o-
mnibus locutionibus fit, quibus signo aliquo
uisibili ostenditur & exhibetur res inuisibilis.
Ita episcopi tradentes facultatem sacri ordi-
nis, & in Academijs facultatem profitendi bo-
nas artes, præbendo librum, uel calicem uel pe-
dum, pileum & huiusmodi alijs signis uisibili-
bus oculis, aliud uerbis intellectui demon-
strant & exhibent. Ita erat & illud Domini ad
discipulos: Accipite spiritum sanctum, cùm in
sufflaret

sufflaret eos, duas enim res simul exhibebat,
& tradebat, sensibus afflatum, mente spiritum
sanctum, hæc Bucerus. Vbi diligenter obserua
esse duplicem demonstrationem in uerbis cœ
næ, alteram ad sensum, alteram ad intellectū, et
illam demonstrationem ad sensum monstra
re panem, alteram uerò illud adiunctum elemē
to, corpus ac sanguinem.

Verissimè autem isti de Scotica impietate
identicæ prædicationis argui possent, Sicut &
Lutherus eos accusat. Nam cùm duæ res tradā
tur in illa sententia sacre cœnæ, nempe panis
& corpus sacramentali prædicatione coniun
gendæ, utriq; sub pretextu identicæ prædicatio
nis alteram sustulerunt, relicta altera sola: ut si
cut Papistæ mutauerunt subiectum eius senten
tiæ, nempe panem in umbram, speciem aut fi
guram panis, Ita uicissim sacramentarij prædi
catum, nempe corpus, mutarunt in figuram, ty
pum aut (ut nunc Beza urget) in symbolum pa
nis. Conueniunt ergo prorsus in genere erro
ris, oportere uidelicet in sacra cœna, idem de se
ipso identicè prædicare, & non res diuersas sa
cramentaliter coniungi, quia fit identica præ
dicatio. Quare sicut Papistæ dicunt, hæc figura
aut species panis, est corpus Christi, uel hoc cor
pus, panis specie aut figura tectum, est corpus
Christi, Sic isti dicunt, panis est figura corporis:
Ita Papistæ quidem euertunt per figuram sub
iectum, isti uerò prædicatum, dum non uolūt
simpliciter propriè accipiendo illa de se inui
cem uerè prædicari seu sacramentaliter conne
cti.

ai. Dicitur de hac re etiam postea aliquid.

CONTRA 29. SOLUTIONEM.

In hac demonstratione probavi eadem esse uerba sacrae coenae, quae etiā ueteris foederis sunt, eaq; inde huc translata esse: Hic est sanguis Testamenti: cumq; ibi propriè accipiuntur, etiam hic propriè accipienda esse, cum denique ibi illa non figuras interpretentur, sed sanguinem, quo sanciebatur illud foedus monstrèt de proximo, ostendi etiā in pronomine *τοῦτο* Hoc per Hebraismū omnino contineri uim coniunctionis *הוּא* hinc ecce, quae rem datam coram monstrent: Ita etiā Dominum in sacra coena mōstrasse ipsum corpus & sanguinē corā exhibita, illudq; testamentū obfignantia, & nō uel exposuisse, quale symbolum aut figura sit panis, aut nos in caelum empyreum, uel supra oēs caelos ablegasse, ad quaerendum ibi corpus suum.

Ad hanc manifestissimā ac potentē demonstrationē nihil solidi respondet, sed tantum calūnijs ac sophismatibus ludit, Primū dicit me uelle SOLVM corpus & sanguinem demōstrari per illud pronomé Hoc, non etiam panē ac uinū, q; SOLVM nusquam in hac mea demōstrationē legitur & in tertia parte Fidelis Admonitionis prolixè quid mōstratur exposui, indicās dirigi quidē digitū ad panem, sed simul p̄cipuè ad intellectū mōstrari ipsum corpus. De q; re suprā, plixius dixi, & locū Buceri adscripsi.

Secūdo loco hoc sophisma ponit, Mosen tantum uoluisse presentem sanguinem mōstrare,

non

nō etiā quid ille sanguis significet declarare: ideo usum esse illis uocibus, Hic est sanguis testamenti. Placet: Hoc cōtra te est. Sic igitur & Christus uolens præsente sanguinē mōstrare, q̄ illud fœdus noui testamenti sanciebat, & nō eius significatiōes exponere, iisdē uerbis usus est. Quod si uoluisset ulterius aliq̄s typos mōstrare, alijs profecto usus fuisset uerbis, ut ipse met Beza scribit de Moise, sic & nos de Christi sermōe aut mōstratione cōfitemur. Iisdē ergo usus uerbis Christus quibus Moses in sanciendo ueteri fœdere, eodem q̄q; planè modo rem præsente significauit. En quāta est uis ueritatis, ut etiā aduersarium suum pro se testari cogat.

Tertiò dicit, se monuisse in suis annotationibus, nō rectè in Matthæo & Marco uerti, Hic est sanguis testamēti: Monuit quidem, sed oēs uersores contrario modo uertunt ac sentiunt, non tantum ueteres & recentiores, sed etiā illi qui alioqui in hoc ipso errore cū ipso sentiūt: Inter quos est eius proprius pater Calvinus.

Quod uerò sit uertendum, Hic sanguis præter omnium communem sensum, probatum horum eorundem uerborum sensus, in quo usus est eis Moses, à quo ea (ut solēnia uerba sacrosanctorum fœderū Dei) Christus mutuatus est, quod nec iste negat aut Calvinus, quin potius inde esse accepta assentiūtur. Cōfirmat etiam hoc illa ipsa uarians Lucæ recitatio (q̄ cur aliter efferat illam Domini sententiam, postea dicetur) nam ibi dicitur, Hoc poculum est nouum Testamentum in meo sanguine

guine, quod pro uobis effunditur, coguntur oēs
græcæ linguæ periti fateri, illud ἐκχυνόμενον,
quod pro uobis funditur ad uocem poculum
ibi referendū esse. Nemo etiam nec inter ipsos
quidem nostros in hac parte aduersarios ne-
gat, illud poculum potionem aut haustum si-
gnificare. Si igitur potio pro nobis funditur,
necesse omnino est, eam uocem non tantum
uinum, sed etiam ipsum sanguinem significa-
re, nam uinum pro nobis non effunditur.

Atque hic ualet illa regula, talia sunt subiecta
qualia relinquuntur aut describuntur à suo
prædicato, ut cū illa potio sit id, quod pro no-
bis effunditur, necessario sit sanguis Christi.

Obserua igitur Lucam non tantum non pa-
trocinari isti peruerfioni Bezæ, Hoc est san-
guis, sed eum oppugnare. Summa argumenti
hæc est. Pronomen demonstratiuum apud
Lucam monstrat intellectui id, quod pro no-
bis effunditur: sed propriè imò tantū sanguis
pro nobis effunditur: Igitur ipsum Domini san-
guinē monstrat, eoque rectè in Matthæo & Marco
uertitur, Hic est sanguis, ut omnes uerterunt,
non, HOC EST sanguis, ut Beza peruertit.

Quàm importunum quæso id sophisma
est, oportere proprium ac perspicuum facere.
At impropriū & obscurius inflectere ac in-
uerrere.

Porro ulterius ratiocinando progredi-
tur & hæc scribit, Dic quæso, quam rem uo-
cauit Christus corpus suum & sanguinem su-
um? An non eam ipsam, quam accepit, fregit,
dedit

dedit discipulis suis: Quid autem iubet eos accipere, comedere, bibere? An non quod acceptum & fractum eis in manus porrigebat? Quòd si excipias, eum non dedisse solum panem, nec solum uinum, concedimus & nos, dabat enim Sacramentum, cui erat sacramentaliter coniuncta ueritas, Sed si duo dedit, Sacramentum uidelicet & rem Sacramenti, (R E M Sacramenti ille uocat Corpus & Sanguinem C H R I S T I) quòd negare non ausis, cur illud quod in sensu externos incurrebat, & de quo præcipuè admonitos discipulos oportuit, ut Sacramenta à rebus communibus distinguerent, prorsus in demonstratione prætermitteret?

Respondeo. Absit à me, ut dicam, Dominum in demonstrando eo quod dedit in sacra Cœna, ipsa elementa panis ac uini prætermisisse. Perplacet uerò, quod dicis, Dominum pronomine Hoc monstrasse id, quod dedit comedendum ac bibendum: dedisse uerò non solum panem & uinum, sed etiam corpus & sanguinem: quare non esse sentiendum, quòd tantum corpus ac sanguinem, sed etiam ipsa elementa demonstratio pronomine monstrauerit.

Hem istuc seriò retine, & defines accusare sacrosanctum hoc Testamentum improprietas, aut uerba, Hoc est corpus meum, impiè per metonymiam peruertere in illa,

QUINTO

L

hoc

hoc est symbolum corporis mei.

Porro ulterius urget, me tamen concedere in uerbis sacræ Cœnæ metonymiam, quia concedam per uocem poculi **SIGNIFICARI IPSVM** contentum.

Respondeo, ego in hisce uerbis: Accipite & comedite, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, non concedo ullum tropum: Cur porro Lucas uoluerit mutata oratione, quasdam res illustrare, postea plenius dicam. Verum nihilominus tam est usitatum, poculum pro portione accipere in sacris & profanis, adeo etiam graues causæ sunt cur ea locutione utamur, adeo denique omnium mentes, qui talem locutionem uel dicunt uel audiunt, sunt solummodo interitæ in rem compræhensam, nempe in portionem aut contentum liquorem, nulla prorsus habita ratione poculi aut uasis continentis, ut optimo iure, pro propria locutione accipi haberi que deberet, de qua re superius prolixius differui.

Dicit se probasse in omnibus Sacramentalibus locutionibus per metonymiam nomen rei significatæ signo tribui. Nego id uerum esse, & tum ab alijs nostris, tum etiam à me refutatum est.

**CONTRA TRIGESIMAM
SOLUTIONEM.**

**Contra hanc ultimam demonstrationem
omnium**

omnium validissimam & ex ipso scopo aut
intentione Christi sacram cœnam instituen-
tis & fœdus illud sancientis, ac ex natura ue-
teris fœderis sumptâ, nihil planè affert ad rē
faciens: oro ac obsecro ueritatis cupidum le-
ctorem, ut eam diligēter legat & relegat: con-
tinet enim grauissimam planè materiam, &
ex qua uel præcipuè de sacrosancto Christi
Testamento statuendum esset: simul uerò sa-
nè & eius solutionem inspiciat, ut uideat
quàm præclarè ac ceu Delphico quodam gla-
dio nodum secuerit.

Affert igitur duo tantum quædam so-
phismata aut cauillos: Primum dicit me,
Quoniam conferam uetus fœdus cum nouo,
debere ita totam similitudinem illorum con-
ferre: sicut ille fœderalis ueteris Testamenti
sanguis significauit non solum absentem,
sed etiam tantummodo futurum & non-
dum re ipsa existentem sanguinem: Ita panis
& uinum in sacra cœna præsentia significant
sanguinem Domini absentem & in cœlo ex-
istentem. Respondeo similitudinibus (hæc
ipsa iste uoce utitur) uariè ludere licet, quæ
incertæ & nullo oraculo subnixæ sunt. Ego
uerò ea applicatione & similitudine uten-
dum esse censeo, quam nobis ipsemet spiri-
tus sanctus in Epist. ad Hebræos demonstra-
uit, nempe quòd, sicut illud legale & perinde
non adeo eximium fœdus typico, hircorum

& uitulorum sanguine sancitum fuit, ita hoc multo salutarius foedus fit longè preciosiore uictima ac sanguine sancitum, nempe ipsiusmet Filij Dei: Hæc similitudo eiusque applicatio non est ex meo cerebro somniata, sicut illa Beziana, sed ex ipsomet uiuentis Dei uerbo clarè desumpta.

Alterum, quod ueluti conclusionis loco affert, est dictum Augustini malè citatum, cuius hæc sunt uerba:

Spiritualiter, inquit, intelligite, quod sum locutus. Non hoc corpus, quod uidetis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent, &c.

Hoc dictum scito Christiane frater, hic postremo loco ideo ab aduersario citatum esse, ut toti huic eius responsioni lucem afferret, ueramque ipsorum mentis sententiam declararet. Quandoquidem enim toties hætenus meis argumentis pressus, & in angustias conclusus, coactus est confiteri, uerè nobis exhiberi ipsum uerum corpus Christi, ac declamitauit non de præsentia corporis Domini: sed de modo certamen inter nos esse, ideo nunc omnia illa corrigit, aut potius tollit: & quod suo ore uerbisque dicere ausus non est, hoc per Augustinum dicit,

cit, inquit, Non illud corpus, quod Apосто-
li uiderunt, manducamus in sacra Cœna,
nec illum sanguinem, quem Iudæi fuderunt,
bibimus.

Hæc istorum profecto perpetuâ ratio
est, ut primum multum declamitent illud
ipsum uerum corpus Christi coram in sa-
cra Cœna exhiberi, nosque contrarium de
eis testantes, mendacij arguant, scedēque
deformēt. Deinde ubi hoc artificio Lecto-
rem ceperunt securumque effecerunt, ac à
nobis abalienarunt, tandem aliqua artifici-
osa correctiuncula omnia, quæ antea de ue-
ra præsentia ueri corporis Christi amplis-
simis uerbis dederant, astutè ex corde au-
ditoris incauti, eisque iam addicti suffuren-
tur: De qua re postea in appendice noua-
rum demonstrationum agetur.

Interea hoc tu retine, tanquam ultimam
sententiam & mentem Beza: Non illud cor-
pus Christi, quod in terris Apосто-
li uiderunt, in sacra Cœna sumitur, nec ille sanguis,
quem Iudæi fuderunt, bibitur, quod ad Au-
gustinum attinet, innumera eius testimo-
nia **E X T A N T**, & ab alijs, præsertim
Vuestphalo indicata sunt, ubi ueram ueri
corporis Christi communionem, eamq; e-
tiam externam, atque adeo hypocritis com-
munem testatur. Ego aliqua pauca Pa-

rum dicta hic adscribam.

Augustinus contra Legis aduers. Sicut
mediatorem Dei & hominum, hominem
Christum Iesum carnem suam nobis man-
ducandam bibendumque sanguinem dan-
tem, fidei corde, atque ore suscipimus: Ne
suffugia pateant Calvinistis, utranque cor-
poris Christi manducationem, & eam quæ
fit corde fidei spiritualiter, & alteram de qua
disceptatio est, & fit ore corporis, coniun-
git.

Augustinus Epistola 118. Placuit Spiri-
tui sancto, ut in honorem tanti Sacramen-
ti in os Christiani prius Dominicum cor-
pus intraret, quam cæteri cibi. Idem in ser-
mon. de temp. 215. Videte Fratres charissimi,
si iustum est, ut ex ore Christianorum, ubi
corpus ingreditur, luxuriosum canticum
quasi uenenum Diaboli proferatur.

Cyprianus de lapsis: Iacens stantibus &
integris uulneratus minatur, & quod non
statim Domini corpus inquinatis manibus
accipiat, aut ore polluto Domini sanguinem
bibat Sacerdotibus sacrilegus irascitur. Ibi-
dem, Sanctificata ora cælestibus cibis post
corpus & sanguinem Domini, prophana cõ-
tagia, & Idolorum reliquias respuerunt.

Theodoretus in explicatione Epistolæ
ad

ad Corinthios . Ita eum ignominia & dede-
core adficiunt, qui sanctissimum eius cor-
pus immundis manibus accipiunt, & in pol-
lutum, & incestum os immittunt.

Ambrosius ad Theodosium, referente
Theodoreto libro quinto. Quomodo manus
extendes, de quibus sanguis adhuc stillat in-
iustus? quomodo huiusmodi manibus susci-
pies sanctum Domini corpus? qua temeri-
tate ore tuo poculum sanguinis preciosi
percipies, quum furore uerborum tuorum
tantum iniusti sanguinis sit effusum?

Tertullianus in libro de Resurrectione
carnis inquit: Caro nostra corpore & sangui-
ne Christi uescitur, ut anima de Deo sagi-
netur. Duo prolixa dicta Irenei, quod eti-
am corpus nostrum de corpore Domini mā-
ducat, supra adscripti. porro etiam Augusti-
nus ore sumi corpus Domini cum alijs af-
firmat.

In fine (ut solent Rhetores) pathetica quæ-
dam adijcit, ut nobis odium, sibi uero suisq;
fauorem ac gratiam auditorum conciliet,
Ea uero sunt, quod eis obijciamus, quod iu-
beant uerba Sacrosancti Testamenti ex ocu-
lis amouere, & quod alicubi uerba sacræ Cœ-
næ inuerterint.

Respondeo de amotione uerborum

L + ex

ex oculis Schuenckfeldius princeps Sacramentariorum clarè scribit, quem ego etiam nominaui in meis demonstrationibus: Calumnia ergo fœda est, quod fingit, me id ipsi tribuere.

Verborum sacræ Cœnæ in recitatione in templis inuersionem nemo Geneuensibus aut Helueticis obiecit, sed alibi factum esse constat. Cur ergo id sibi obijci fingit? Oportet scilicet eum confingere aliquid de nobis, ut patheticè queri possit, nobisq; inuidiam, & sibi misericordiam conciliare.

Interim tamen & hoc expendat pius lector, An non is uerba sacræ Cœnæ inuertit & ex oculis amouet, qui sublato proprio sensu prorsus peregrinum eis dat, nempe dum Christus hic clamat, audi quid dicam, Accipe & comede, Hoc est corpus meum: Reclamat inde Beza, Audi & me. Christus tecum impropriè loquitur, Sic intellige eius uerba, accipe & comede, hoc est symbolum corporis mei.

Quid quæso mihi uerba Christi mutata significatione uerborum, ut isti nusquam nõ clamant, impropria esse, & mille modis, ea interpretantur, uel potius peruertunt.

Videantur quæso omnes eorum scriptiones,

nes, an non neglectis, ac quasi planè remotis
uerbis Testamenti, tantum uel umbras cere-
moniarum Mosaicarum, uel alia nihil huc fa-
cientia scripturę loca tractent? uel denique in
unum amplissimum campum ratiocinatio-
num, & sophisticationum, ubi inprimis re-
gnant, excurrunt & euagantur? Verba uerò
sacrofancti Testamenti uix extremis labris
& tantum quatenus uolentes nolentes co-
guntur, attingunt. Mentiar si non ita sese res
habet: Inspice omnia eorum scripta: An quæ-
so hoc non est, uerba sacrofancti Testamenti
ex oculis & animo suo ac Christianorum a-
mouere, & interim in alijs uanissimis ratio-
cinationibus uagari & immorari? Quàm
multa quæso maliciosissima sophismata in
hoc libello Bezae liquido ostendi ac refutauī,
& tamen querulatur sibi ea obji-
ci ac tristem iniuriam

fieri.

FINIS.

L 5

SVM-

SVMMAE BREVES XXX.

DEMONSTRATIONVM ILLYRICI

ci, de presentia distributioneque corporis et sanguinis Christi in sacra Cæna: quas ideo uisum est typographo adijcere, quo lectorem de scopo

earum admonerent.

PRima demonstratio presentie corporis & sanguinis Christi sumpta est ex definitione textus, continetis duo diuersa membra seu partes, & res à se inuicè diuersas, pponetis, essentiã nimirum et finè seu usum sacramenti.

Secunda demonstratio ostendit Metonymiã sacramentariorũ non habere locum in uerbis Christi: Hoc est corpus &c. eamque tollere & corporalem & spiritualem presentiam corporis & sanguinis Christi.

Tertia probat uerba illa: Accipite, comedite, bibite, de externa acceptione, esu, ac potatione dati aut porrecti intelligenda esse.

Quarta, uerba Institutionis cœnæ Dñicæ perspicua ac in suo natiuo sensu, ut sonat, retinenda esse demonstrat, ex ratione subiecti & p̄dicati, & ex explicatione prædicato addita.

Quinta ex ordine rerũ & actionũ contendit, uerbũ & sacramenta nõ esse propriè, si essentiã eorum cõsideres, ipsa spũalia bona, aut meritũ Christi, sed excitare fidẽ in nobis, &c.

Sexta docet (ex uoce Memorix seu recordationis, ubi Christus iubet nos edere suũ corpus, & bibere suũ sanguinẽ ad sui recordationem)

oñē) spūale in māducationem aut fruitionē
corporis Christi, nō ante, sed post memoriā,
tanq̄ ultimū effectū sacramēti, esse collocādā.

Septima idē colligit ex uocula IN, uel AD.

Octaua ex ratione instrumentorū aut me-
diorum ad suum finem seu usum argumen-
tatur, q̄ in uerbis, Accipite, Comedite, bibite,
non præcipiatur aut detur spiritualis seu ui-
uifica corporis Christi manducatio.

Nona ex methodo docendi, qua per notio-
ra ac crassiora ad ignotiora & obscuriora à
spiritu sancto deducimur, concludit in illis
uerbis, Edite, bibite, Hoc est corpus meum,
& hic est sanguis meus, proponi externam
quandam ac crassiorem manducationem, &
haustionem corporis ac sanguinis Domini.

Decima ex collatiōe finis ad suum mediū
probat spirituales manducationē corporis
Christi non debere collocari in essentia sacra-
menti, sed in effectu.

Vndecima idem ex ordine rerum nō per-
uertendo colligit.

Duodecima ostēdit locutiōe aduersariorū,
Fide spūaliter comedere corpus Christi, &c.
esse crassā & ineptā tautologiā & battologiā.

Decima tertia docet actionem illam, quæ
fit ad memoriā, & memoriā antecedit,
pijs & hypocritis communem esse.

Decima quarta ostēdit Zuingliani erroris
instauratorē, quē Calvinū esse constat, duos
diuersos & cōtrarios sensus uerbis Christi af-
fingere, eumq̄ non solū cum textu ac eius au-
tore, sed & secum pugnare:

Decima quinta docet, cū non sint idem, signū & signatū, ac sacramēta sint *σφραγίδες* promissæ iustificationis, spiritualem manducationem non posse habere locum in uerbis, Accipite, comedite, bibite, Hoc est corpus meum &c. quæ uerba descriptio sunt essentiæ sacramenti aut signi. Docet item sacramentalem seu externam manducationem panis & uini corporisq; ac sanguinis Domini esse & signū & medium, aut instrumētum, seu memoriale spiritualis manducationis, quæ sola fide peragitur.

Decima sexta ratiocinatur ex necessario cōiunctis Passioni Christi: Cū Christus illa omnia per se, in se, & per suum proprium uerumq; corpus peregerit, eundē quoq; uerum natiumq; sanguinem ac corpus suum nobis in sacra Cœna impendere.

Decima septima ex collatione sanctiōnis & confirmationis utriusq; testamenti colligit uerum non typicū sanguinem in Cœna Domini distribui.

Decima octaua idem colligit ex collatione agni Paschalis ueteris & noui.

Decima nona idem probat ex more ac iure perpetuo fœderum.

Vigesima etiam ex duorum fœderum collatione in sacra Cœna communicationē corporis Christi exhiberi demonstrat.

Vigesima prima probat multis ratiōibus Corinthios olim habuisse somnium quoddā de nuditate panis ac uini, deq; absentia Christi

sti

sti à sacra cœna in cœlo, & ostendit uerè in cœna sumi uerum corpus & sanguinè Christi.

Vigesima secunda recitat Osiandri opinionem de iustificatione, & ostendit Caluinum cum Osiandro consentire de modo ac medio apprehendendæ iustificationis.

Vigesima tertia refutat Osiandricam iustificationis rationem, & ostendit incorporationem aut māducationem mysticam effectum esse iustificationis, non medium apprehendendi eam.

Vigesima quarta ostendit māducationem inhabitationis aut incorporationis, ut medium & aditum ad perceptionem beneficiorū Christi, ex uerbis cœnæ, Accipite, edite, bibite, Hoc est corpus meum &c. explodendam, & sacramentalem aut corporalem, utpote à Christo institutam, retinendam esse.

Vigesima quinta repetit distinctionem in prima demonstratione traditam, & Caluinū secummet pugnare, ex ipsius Caluini uerbis conuincit.

Vigesima sexta sacramentariorum præcipuum argumentum ex cap. 6. Iohan. contra externam aut corporalem manducationem corporis Christi extractū refutatur diligenti totius illius cōcionis aut disputationis Christi Ioan. 6. consideratione seu potius explanatione.

Vigesima septima uerū corpus & sanguinem Christi in sacra Cœna esse intelligendum ex natura & uí articuli τὸ, & ex communi Grammaticorum

Grammaticorum & græcam linguam callentium sententia eruditè probat ac statuit & triplicem significationem corporis Christi scripturam usurpare docet.


Vigesima octava ex proprietate Græci idiomatis, ubi uidelicet arctissima est connexio prædicati & subiecti per articulum qui prædicato additus est, & prædicatū quasi in subiectum retrahit, uerum corpus & sanguinem Christi cū pane & uino in cibum ac potum dari demonstrat.

Vigesima non idem ex Hebrææ linguæ ratione astruit, ita ut pronomen demonstratiuum Hoc uel Hic naturam aduerbij demonstratiui repræsentet.

Trigesima ex scopo, intétione, aut proposito Christi dicentis, & Testamētum suum nouum inter Deum & homines sancietis euincit, Christum his uerbis, Hoc est corpus meum, sanguis meus, asserere ueram præsentiam ac distributionem corporis ac sanguinis sui in sua

Cœna sacra,

FINIS.



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



155.003


AB 155.003

La
e
a.
102
est
lin.
tur
ento

ULB Halle 3
004 851 218






Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------



AE
 CI PRO
 s,anno su
 uerfia Sa
 Bezae

hense

